

Baptizantes &c. Ergo verba sacramentorum sunt doctrinalia & coniatoria. Unde Augustinus citatus ait verbum quod est in baptismo esse illud quod predicamus & verbum non quod dicitur, sed quod creditur.

Respondet Christum precipere modum quem Apostoli observare debebant, in conversione infidelium adultorum ut scilicet eos docerent: priusquam baptizarent: Sed quia modo pueri ante usum rationis baptizantur parentibus consentientibus, non est nunc necessaria ad baptismum hac doctrina. Idem fere dicendum est ad Augustinum, verum enim est quod ad baptismum adultorum praerquiruntur verbum coniatorium, ut instruantur, sed magis opus est verbe coniatorio, ut sanctificentur.

ARTICULUS IX.

Qua mutatio ex parte materiae, vel formae reddat sacramentum invalidum?

Qua de variatione materiae & formae sacramentorum disputant hic Theologi cum D. Thoma art. 3. scilicet sunt, & magis ad casus conscientiae, quam ad scholasticas difficultates pertinent, ideoque breviter ab illis non expediunt.

Dico igitur, mutationem essentialiam materiae, aut formae reddere sacramentum invalidum, non vero accidentalem. Ita D. Thomas hic art. 3.

114. Probatur breviter: Sacramentum non potest stare sine suis partibus essentialibus & intrinsecis: Sed materia & forma sunt partes essentialis & intrinsecas ex quibus sacramentum componitur: Ergo mutatio essentialis materiae vel formae reddit sacramentum invalidum.

115. Probatur secundo specialiter quantum ad formam sacramentorum: Sicut enim res naturales consistere nequeant sine forma, ita nec res artificiales eadem perseverant, si mutant formam qua constituntur in genere artis: Sed sacramenta sunt veluti quaedam entia & composita artificialia, ab infinita Christi sapientia excogitata & fabricata: Ergo sublatis ipsorum formis, consistere nequeunt: Sicut autem in naturalibus & artificialibus, salva essentialiter rerum variari possunt accidentia, vel quae ad integritatem, vel quae ad decorem pertinent: ita pariter in sacramentis potest esse (invariata essentialiter materia & forma a Christo Domino instituta) aliqua variatio quae non tollat seu destruat essentialiter sacramenti. Ex quo

116. Inferes primo, quod si loco panis triticeae, qui est materia sacramenti Eucharistiae, alius ex alia materia confectus, puta ex hordeo, apponatur Missa sacrificio, non conficitur sacramentum, quia materia mutatur essentialiter: sicut vero si pani triticeo admisceantur pauca grana hordei, vel alterius speciei, quae non solvant nec mutant corruptam panem triticeam, quia mutatio quae tunc fit ex parte materiae est tantum accidentalis. Idem cum proportione dicendum est de aceto & musto, cum enim acetum essentialiter differat a vino quod Christus pro materia calicis instituit, mustum vero accidentaler tantum ab eo distinguitur, sacerdos qui poneret acetum in calice non confecerat, bene tamen qui poneret mustum. Item qui baptizaret in aqua rosacea, aut alia simili non conficeret sacramentum, bene tamen qui in aqua calida baptizaret, quia in primo casu mutatio ex parte materiae esset essentialis, in secundo vero solum accidentalis.

117. Inferes secundo, quod si additio facta formis sacramentalibus non mutet legitimum sensum ipsum, sacramenta erunt valida, quia salvabitur ratio formalis sacramenti, quae in significatione consistit: unde validus esset baptismus in hac forma: Ego te baptizo in nomine Patris omnipotentis, & Filii unigeniti, & Spiritus sancti Paracleti. Et idem cum proportione dicitur de diminutione: unde valide confecerat hostiam, qui solum diceret, Haec est corpus meum, omitto enim.

118. Inferes tertio, quod si aliquis Sacerdos verba sacramentalia corrupte proferat, vel ex industria, vel ex imperitia, vel ex balbutie, aut lapsu lingue: si corrupto fit tanta ut auferat omnino locutionis sensum, non conficitur sacramentum: si vero fit talis quae sensum verborum non tollat, non redditur invalidum sacramentum: quia in primo casu mutatio se tenens ex parte formae est essentialis, in secundo dumtaxat accidentalis. Licet autem fati difficile sit cognoscere quandomodo corruptio fit tanta, ut auferat omnino sensum, assignatur tamen a D. Thoma hic art. 7. hac regula: si mutatio se teneat ex parte principii dictionis, regulariter variatur sensus; ut si loco, in nomine Patris, dicatur in nomine matris.

Et ratio est, quia variatio dictionis ex parte principii, regulariter mutat significationem. Si vero mutatio fit ex parte finis dictionis, sensus regulariter manet idem; quia variatio dictionis ex parte finis, non mutat ut plurimum eius significationem. Unde validus esset baptismus si ex ignorantia vel errore ferret in hac verborum forma: Ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus sanctus, ut definitur Zacharias Papa in cap. Retulerunt, de consecrat.

dist. 4. Licet enim verba sic prolata, ex vi impositionis, nihil significant, tamen ex usus accommodatione accipiuntur ut idem significant ac Patris, Filii, & Spiritus sancti. Adit tamen S. Doctor, posse aliquando contingere ut mutatio esset tanta ex parte finis dictionis, ut non relinqueret eundem rationis sensum, & tam parva ex parte principii, ut sensum non tolleret; atque ita maxime hoc considerandum esse, & iudicio viri prudentis relinquendum.

119. Inferes quarto, quod si tanta fiat interruptio in prolatione verborum, ut moraliter & secundum communem usum hominum, non censatur idem tractus sermonis, si sacramentum non erit validum, sicut si censatur idem tractus sermonis. Ratio est, quia in priori casu non manet sensus formae integer, qui in tota oratione consistit, bene tamen in posteriori: Quanta vero interruptio sufficiat, ut non censatur eadem moraliter oratio, non potest esse certa regula definita, sed ex modo, duratione, & aliis circumstantiis iudicandum est, iuxta viri prudentis arbitrium. Hoc solum tanquam certum statui potest, quod quando discontinuitio fit inter duas syllabas ejusdem dictionis, minor duratio tollit sensum verborum, quam cum fit inter duas dictiones, quia in primo casu maxime interruptur sensus.

120. Quares, an minister ex intentione inducendi novum ritum, etiam reprobatum ab Ecclesia, proferens verba sacramentalia additione, diminutione, aut quovis alio modo non tollente legitimum sensum mutata, verum conficit sacramentum. Si habeat voluntatem faciendi quod facit vera Ecclesia?

Respondet affirmative: Si enim Sacerdos Latinus confecerit, in Ecclesia Latina in fermentato, cum intentione hunc ritum in Ecclesia Latina inducendi, verum conficit sacramentum, ut fatetur fere omnes Theologi: & tamen Ecclesia apud Graecos dumtaxat, non vero apud Latinos tolerat, sed execratur tales ritus: Ergo licet minister sacramentorum variat accidentaliter materiam, vel formam sacramenti, in ritu ab Ecclesia non tolerato, & tamen habeat generaliter intentionem faciendi quod praestat vera Ecclesia, in usa talis materiae & formae, verum conficit sacramentum.

121. Dices, Qui habet intentionem intentioni Ecclesiae contrariam, non habet intentionem Ecclesiae: Sed eo ipso praesertim quod minister intendat introducere suum errorem in Ecclesiam, habet intentionem Ecclesiae intentioni contrariam, utpote cum intendat Ecclesiam excludere hujusmodi errorem: Ergo eo ipso praesertim quod minister intendat introducere suum errorem in Ecclesiam, non potest simul intendere quod intendit Ecclesia.

Respondet distinguendo Majorum: Qui habet intentionem intentioni Ecclesiae formaliter contrariam, non habet intentionem Ecclesiae, concedo. Qui habet intentionem Ecclesiae intentioni materialiter solum contrariam, nego. Similiter distinguo Minorum: eo ipso praesertim quod minister intendat suum errorem introducere in Ecclesiam, habet intentionem, Ecclesiae intentioni materialiter tantum contrariam, concedo Minorum. Contrariam etiam formaliter, nego Minorum, & Consequentium.

Explicatur solutio: Intentio privata ministeri introducendi in Ecclesiam aliquem errorem, sive toleratum, sive non toleratum ab ea, potest dupliciter esse contraria generali intentioni Ecclesiae, nimirum vel materialiter tantum, vel etiam formaliter: materialiter tantum, si volens suum errorem introducere, non credat esse errorem, sed veritatem, atque adeo non intendat ipsum introducere tanquam errorem, sed tanquam veritatem: formaliter vero privata illa intentio est contraria generali Ecclesiae intentioni si volens suum privatum errorem in eam introducere, non existimet ipsum esse veritatem, sed errorem; licet autem habens istam posteriorem intentionem, non possit simul habere intentionem generalem Ecclesiae, bene tamen qui illam priorem dumtaxat habet, eo ipso enim quod existimans suum errorem privatum, non esse errorem sed veritatem, velit ipsum introducere, non existimat eum esse contrarium Ecclesiae, sed potius ab ea intendit, quia existimat veram Ecclesiam veritatem intendere: quia ergo hoc ita potest volentem, immo communiter ita contingit: haeretici enim volentes introducere suos errores in Ecclesiam, existimant illos non esse errores, sed veritates, licet de facto errores sint: hinc fit quod licet eorum intentio fit materialiter contraria intentioni generali Ecclesiae, quae errare non potest, non tamen formaliter.

122. Instabis: Ut minister in dicto casu habeat generalem intentionem Ecclesiae, necesse est quod intendat, saltem virtualiter, oppositum suo errori: Sed intendens introducere suum privatum errorem in Ecclesiam, non intendit etiam virtualiter oppositum suo errori: Ergo neque habet intentionem generalem Ecclesiae. Major constat: cum enim Ecclesia vera intendat oppositum errori privato ministeri, nisi minister saltem virtualiter id ipsum intendat, non potest dici habere intentionem generalem Ecclesiae.

verz.

verz. Minor vero probatur: Cum intentione formali aliquis non fiat intentio virtualis oppositi: quis enim dicit, quod aliquid possit simul intendere esse secundum eandem partem, & eodem tempore, calidus & frigidus? Sed minister in casu posito intendit formaliter suum errorem: Ergo non habet simul intentionem virtualem oppositi suo errori.

Respondet negando Minorem, & ad ejus probationem, data Majori, distinguo Minorem: minister in casu posito intendit formaliter suum errorem, reduplicative ut errorem, nego. Non ut errorem, sed ut veritatem, concedo. Similiter distinguo Consequens: Ergo non habet simul intentionem virtualem oppositi suo errori, ut errori nego. Ut non existimato tali, concedo.

DISPUTATIO II.

De Existentia Sacramentorum.

Ad quest. 61. D. Thomae.

1. Quamvis juxta ordinem doctrinae ab Aristotele posterior assignatum, de quacunque re prius inquirendum sit, an existat, deinde quid sit, ac proinde videatur D. Thomae, & nos ipso ipsum, prius investigare de existentia, an existat sacramentum, quam quid sit sacramentum: quia tamen antequam ostenderetur sacramenta esse, necesse erat ex parte intelligi quid nomine sacramenti significetur: significatio autem hujus nominis tam est conjuncta cum essentia & proprietate ipsius rei significatae, ut sine ejus cognitione non possit perfecte haberi; ideo doctrinae aliquantulum inverti debuit, prius quid sit sacramentum, quam an sit inquirendo. Cum autem sacramenta fuerint instituta, atque adeo existant propter hominem: homo autem considerari possit vel ante Christi adventum, nimirum in statu innocentiae, in statu legis naturae, & in statu legis scriptae, sive Moisaicae, & post Christi adventum, seu in lege nova & Evangelica, existentia sine necessitate sacramentorum, quoad omnes illos status, investiganda est.

2. Sed prius supponendum est cum S. Thoma hic art. 1. sacramenta esse homini necessaria ad salutem, ob triplicem rationem. Prima petitur ex conditione humanae naturae: Ea enim est naturae humanae conditio, ut ex cognitione sensibilibus assurgat in notitiam rerum spiritualium: Atqui sacramenta sunt quaedam signa sensibilia & corporalia, quibus homines adducuntur in notitiam rerum spiritualium: Ergo congruum est ut pro eruditione sacramenta instituantur. Unde Dionysius cap. 5. Ecclesiasticae Hierarchiae docet medium tenere locum Ecclesiam inter Synagogam & Paradisum: Cum sit media (inquit) societas quadam extrema sibi vendit, cum caelesti quidem communis habens spiritualis contemplationis, cum legali vero signa quae sensum movent, quorum etiam varietate distinguitur, & per ea pie praeparare ad Deum deducitur. Illi concinit Eucherius, allersens sibi Deum tria scilicet tabernacula: Synagogam, quae umbram habuit sine veritate: Ecclesiam, quae veritatem & umbras habet: Calum ubi nulla sunt umbrae, sed nuda veritas.

Secundam rationem fuit S. Doctor ex humilatione, quae per sacramenta homini feliciter contingit: Homo enim peccando, & consequenter convertendo se in corporalia & sensibilia tanquam in ultimum finem, subjicit se secundum affectum corporalibus: Ergo congruum fuit, ut in penam simul & remedium subiceretur sacramentis, quae sunt quaedam sensibilia, ut unde morbum contraxerat, inde medicinam reciperet.

1. Tertiam desinit ab exercitatione utili, ne enim homini ad exercitationes corporales interdum sibi noxias valde proclivi, durum esset, si totaliter ab actionibus corporalibus abstraheretur, convenienter Deus instituit sacramenta sensibilia, quibus homo salubriter exerceretur. Has tres rationes breviter perstringit D. Bonaventura 3. part. sed. 47. de sacramentis in generali, ubi sic ait: Quoniam eramus caci quoad rationalem, ideo data sunt sacramenta sensibilia ad eruditionem. Quoniam eramus caci quoad irascibilem, ideo data sunt sacramenta corporalia ad humilationem. Quoniam eramus proci ad modum quod concupiscibilem, ideo data sunt sacramenta plura ad exercitationem.

2. Illas sustulit exponit Hugo Victorinus lib. 1. de sacramentis parte 9. cap. 3. sed alia serie, ait sacramenta esse homini necessaria, propter humilationem, propter eruditionem, propter exercitationem. Primo quidem, ut dum in sensibilibus elementis rationalis creatura ex Creatoris precepto subjicitur, ex hac ipsa sua humilatione Creatori suo reconciliari mereatur; sicut prius Deum superbiendo deserens, se terrenis per concupiscentiam subdit &c. Secundo, ut per id quod foris in sacramento specie visibili continetur, ad invisibilem virtutem qua intus in re sacramenti consistit agnosceret.

dam, mens humana eruditur &c. Tertio, ut dum mens humana per varias operum species exercitata colitur (seu velut ager spiritualis excolitur) ad multiplicem virtutis fructum inserius succundet: quia postquam per concupiscentiam ad multiplicia hoc & transitoria se dividit permisit, sicut multa diligens, in his per affectum dividitur, sic mutabilia sequens variatur: & ideo ne sua mobilitate semper ad deteriora descenderet, salibus nutrienda fuerat studiis, in quibus & per varietatem rerum foris excitata, & emulacione virtutum intus accensa, proficiendi occasionem inveniret. Proposita igitur sunt species corporales, insinuat sunt opera exercenda; ut medicinam interiori homini, exterior homo prepararet, atque subesse ac prodesse addiceret; nam cum prius humana vita per duo exercitacionum genera cucurrisset, in altero ad usum pro natura, in altero ad vitium pro culpa congruum erat ut tertium exercitacionis genus adingeretur; ut per illud, unum e duobus primis evinceretur, quia erat recens; alterum perfereretur, quia non erat sufficiens, &c.

Hanc rationem egregie etiam profequitur Soto in 4. sent. dist. 1. qu. 2. art. 1. his verbis: Dum homo in statu innocentiae persistebat, sola divina contemplatione fruebatur, ad hac autem ima per peccatum demissus, rerum varietate gauderet, id quod Christus in illis sermibus nos admonuit, quantum ad illud Mareba erga plurima se sollicitante, contemplationis Maria dixit, unum est necessarium. Si ergo prius spiritualibus homo juberebatur vacare, esset a sua natura violenter abstractus: quod certe egerrime ferret. Morem ergo Deus nobis gessit, ut sacramentorum varietate oblectari, ad nostram comparandam salutem essemus propensiores. Delectat enim non nunc basilicus extruere, mox sacrificia celebrare, deinde orare, & nonnunquam hymnos cantusque intonare divinos. Illis incantibus sacramenta ministrare, atque alios expediri suscipere, per quae quidem virtutum munera cunctis idolorum servitutibus destrahuntur. Id quod in illis Nephthis novis orbis experimento percipitur. Mirum enim in modum in istiusmodi carementis exhiberantur, per quas a sua idololatria remouentur.

ARTICULUS PRIMUS.

An aliqua sacramenta fuerint de facto in statu innocentiae, vel fuerint instituta Adamo non peccante, supposito saltem quod posteri ejus peccasset?

S. I.

Quibusdam promissis referuntur sententiae.

Notandum primo, triplicem in titulo hujus articuli 5 difficultatem insinuari. Prima est, an de facto institutum fuerit aliquod sacramentum pro brevi illo tempore quo status innocentiae in Adamo duravit? Secunda, an si Adamo non peccante, status innocentiae in omnibus ejus posteris durasset, fuissent pro eis aliqua sacramenta instituta? Tertia, an ex hypothesi futuritionis peccati in aliquibus ex posteris Adami, ipso non peccante, pro eis fuisset aliquod sacramentum in remedium peccati institutum?

Notandum secundo, quod sicut quando in Tractatu de 6 Incarnatione quaerunt Theologi, utrum Adamo non peccante Christus venisset? hoc intelligi debet, ex vi decreti quod Deus de facto habuit, non vero ex vi alterius quod habere potuisset; certum enim est, Deum ex vi alterius decreti quod potuisset habere, Adamo non peccante, carnem potuisse assumere. Ita similiter quando hic quaeritur, an si Adamo non peccante, status innocentiae in omnibus, vel saltem in aliquibus ejus posteris durasset, fuissent aliqua sacramenta a Deo instituta pro ipsis? hoc intelligi debet de institutione sacramentorum in eo statu, ex vi decreti quod Deus ab aeterno habuit, non vero de institutione sacramentorum faciendae ex vi alterius decreti quod in Deo esse potuisset; cum certum & indubitatum sit apud omnes Theologos, Deum potuisse, de absoluta potentia, instituire sacramenta in statu innocentiae, hoc enim nullam absolute implicat contradictionem. His promissis

1. Circa tres difficultates propositas variis sententiarum 7 placita. Prima sententia assertit de facto fuisse aliqua sacramenta a Deo instituta pro brevi illo tempore quo status innocentiae in primis parentibus duravit. Ita Durandus in 4. dist. 1. qu. 2. ubi ait in statu innocentiae fuisse sacramenta, non ratione medicinae, sed ratione eruditionis. Quam sententiam plerumque probabilem esse dicit Alanus, Tractatu de sacramentis cap. 7. illamque etiam ut probabilem defendit Alensis 3. p. q. 1. membro a. art. 1. Pro ea etiam citari possunt omnes illi Theologi qui docent matrimonium Adami cum Eva fuisse sacramentum: nimirum Petrus de Soto, Alphonsus a Castro, Catharinus, Rosenius, Pighius, & Henricus Angliae Rex, qui id docuit in Tractatu de sacramentis, quem edidit, dum esset Catholicus, & antequam in apostasiam laberetur.

2. Secunda fatetur quidem pro illo brevi tempore quo status innocentiae duravit, nulla extitisse sacramenta stri-

De sumpta; si tamen status ille diutius durasset, supposita opinio Scoti afferentis Christum venturum, etiam Adamo non peccante; in illa, inquam, hypothese futurum esse aliquid sacramentum, nempe Eucharistiam, quia (inquit) est sacramentum maxime expectabile & independens a peccato, seclusa significatione passionis Christi, quae facile excludi potest, remanente presentia reali Christi, & intima unione, qua nos sibi coniungit per hoc sacramentum. Ita Suarez & Coninkus, qui addunt, consequenter etiam futurum in eo statu sacramentum Ordinis ad ministrum tanti sacrificii & sacramenti convenienter instituentibus.

Tertia distinguit, & dicit quod si Adamo non peccante status innocentia in omnibus ejus posteris durasset, nulla etiam pro eis futura fuissent sacramenta; si tamen primo parente non peccante, aliqui ex ejus descendenti- bus potuissent peccare, & de facto peccassent, pro his qui peccassent, institutum fuisset aliquid sacramentum. Ita ex Thomistis Nuno & Serra hic art. 2.

S. II.

Triplex difficultas proposita triplici conclusione resolvitur.

8 Dico primo: De facto nullum fuit institutum sacramentum, pro illo brevi tempore, quo status innocentie in Adamo duravit.

Probat brevit. Tum quia nullibi in Scriptura, Concilio, aut SS. Patribus fit mentio sacramenti instituti pro illo brevi tempore, quo status innocentie in Adamo duravit. Tum etiam, quia cum sacramenta sint signa permanentia alicujus religionis protestativa, conveniens non fuit quod Deus aliqua sacramenta institueret pro statu innocentie Adami, quem previderat tam brevi tempore duraturum. Adde quod pro illo brevissimo tempore, quo status innocentie in primis parentibus duravit, vix potuit esse locus usui sacramentorum; sacramenta enim precipue requiruntur ad percipiendum in gratia & scientia homines: primi vero parentes perfecti creati sunt in utraque, ut ostendimus in Tractatu de statibus naturae humanae disp. 1. art. 3. Ergo de facto nullum fuit institutum sacramentum pro illo brevi tempore quo status innocentie in Adamo duravit. Unde nec matrimonium Adami cum Eva, nec lignum vite, fuerit vere & proprie sacramenta: licet enim typum & figuram rei sacrae gesserint, unionis scilicet Christi cum Ecclesia & sacramenti Eucharistiae, tamen pro tunc non erant a Deo instituta, ut signa praerita gratiae & sanctificationis hominum, sicut etiam transitus maris rubri, & serpens aeneus, erant signa rei sacrae, non tamen sacramenta. De quo satis in solutione argumentorum.

9 Dico secundo: perseverante Adamo & posteris ejus in statu innocentie, nulla pro illo statu fuissent a Deo instituta sacramenta ex vi decreti, quod Deus habuit ab aeterno. Ita D. Thomas in 4. dist. 1. qu. 2. art. 2. & hic art. 2. Quamvis enim Cajetanus velit D. Thomam in hoc articulo loqui tantum de statu innocentie qui de facto fuit, ejus tamen rationes concludunt aequaliter de statu innocentie, qui futurus erat Adamo non peccante. Immo Soto, Ledesma, & Suarez ipse, contendunt D. Thomam loqui in hoc articulo de utroque statu. Sed quidquid fit de hoc

10 Probat conclusio triplici ratione. Prima desumitur ex inutilitate sacramentorum in statu innocentie: Sacramenta enim ad duo praecipue ordinantur, nimirum ad sanctificandos homines, & ad eos instruendos de rebus supernaturalibus. Sed ad nullum ex his necessaria fuissent sacramenta in statu innocentie: Ergo fuissent proflua inutilia & superflua, subindeque non fuissent a Deo instituta, si Adamus, & posteris ejus in statu innocentie perseverassent, cum gratia non minus abhorreat a superfluo, quam natura. Major patet, Minor vero quoad utramque partem fuit. Posterius omnes Adami, eo non peccante, acceperunt per modum naturae gratiam & scientiam, quae ad eos dirigendos in operibus justitiae supernaturalis necessaria fuisset; quia geniti fuissent, sicut Adamus, in justitia originali, & gratia, omnibusque habitibus supernaturalibus, ad eas consequentibus per modum proprietatis, ut communiter docent Theologi cum D. Thoma 1. p. qu. 90. & 91. Ergo in statu innocentie, sacramenta nec ad sanctificandos homines, nec ad eos instruendos de rebus supernaturalibus fuissent necessaria.

11 Confirmatur: Sacramenta sunt necessaria vel utilia ad recipiendam gratiam, vel ad eam conservandam, vel ad eam augendam: Sed ad nullum ex illis tribus indiguissent homines sacramenta in statu innocentie: Non quidem ad primam, quia ut diximus, acceperunt gratiam per modum naturae, sive in ea creati fuissent. Neque ad secundam, quia in eo felicissimo statu nulla passi essent contrariae gratiae conservatio, nulla scilicet in eo fuisset concupiscentia, vel rebellio appetitus inferioris contra superiorem, quae sola videtur contrariari conservatio gratiae. Neque denique ad tertiam, quia augmen-

tam formae, debet fieri proportionaliter ad primam ejus productionem atque adeo independentem ab eis a quibus prima productio non dependet: gratia autem pro illo statu independens fuisset quoad suam primam productionem a sacramentis: unde sicut Angeli per propriam dispositionem, & non per applicationem alicujus sacramenti, vel signi spiritualis, aut sensibilis, auxerunt gratiam, dum essent viatores: ita homines in florentissimo & felicissimo innocentie statu, in quo veluti Angeli terreni fuissent, ut loquitur Chrylologus, gratiam auxerunt per actus proprios, & magis connaturales illi statui, sicut & statui Angelorum: Ergo &c.

Secunda ratio quam tradit D. Thomas hic art. 2. in corp. sumitur ex perfectione status innocentie, cui sacramenta non videntur congrua & accommodata: Nam restitudo & perfectio status innocentie in eo sita erat, quod superiora dominarentur inferioribus, nec ab illis dependerent; unde homines perfecti per aliquid corporale, quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam, est contra debitum ordinem & perfectionem illius status: Atqui si in eo fuissent sacramenta, homo accepisset suam perfectionem, quantum ad scientiam, & quantum ad gratiam, per aliqua corporalia & sensibilia; sacramentum enim est aliquid corporeum & sensibile, ad sanctificandos homines, & ad eos instruendos de rebus supernaturalibus ordinatum: Ergo sacramentorum institutio videtur esse contra debitum ordinem & perfectionem status innocentie.

Dices primo cum Suarez: Adamo non peccante, & 13 consequenter perseverante statu innocentie, posteris Adei acquisivissent scientiam ex rebus sensibilibus, & intellexerunt per conversionem ad phantasmata, quae sunt aliquid corporale & sensibile: Ergo non est contra rectitudinem status innocentie, quod homo perficiatur per aliquid corporale, quantum ad scientiam.

Sed contra: Licet hominem in statu innocentie dependere ab illis rebus sensibilibus a quibus ex natura sua non dependet, sit contra perfectionem status innocentie, non tamen est contra perfectionem illius status, quod homo dependeat ab illis rebus sensibilibus, a quibus ex natura sua dependet: Atqui homo dependet ex natura sua ab objectis sensibilibus, quantum ad acquisitionem scientiae, non vero a sacramentis: Ergo est contra ordinem & perfectionem status innocentie, quod homo dependeat a sacramentis, quantum ad acquisitionem scientiae, non autem ab objectis sensibilibus. Minor quoad secundam partem est evidens, quoad primam vero probatur, quia homo in hoc distinguitur ab Angelo, quod ille petat habere species sibi infusus, ille vero eas sibi comparet, mediante intellectu agente. Unde quod Adam non dependeret ab objectis sensibilibus, quantum ad acquisitionem scientiae, nec a conversione ad phantasmata, quantum ad usum ipsius, non oriebatur praesice ex natura & perfectione status innocentie, alias hoc ipsum debuisset convenire ejus posteris, sed ex eo quod per accidens habuit species sibi a Deo infusus.

Dices secundo cum eodem: Hominem indigere sacramentis, non est ipsum subijci rebus sensibilibus, sed magis Deo, in usu alicujus rei sensibilis: Hoc autem non videtur repugnare perfectioni status innocentie, nam Deus prohibuit homini in eodem statu etiam ligni scientiae boni & mali quod erat arbor sensibilis, in quo Deus non subdidit hominem alicui sensibili, sed tantum sibi ipsi in usu alicujus rei sensibilis: Ergo similiter in proposito &c.

Sed contra: Licet hominem ita subijci Deo in usu alicujus rei sensibilis, ut per talem subjectionem reddatur superior ad illam rem sensibilem, sit tantum hominem subijci Deo, neque hoc repugnet perfectioni status innocentie; hominem tamen ita subijci Deo in usu alicujus rei sensibilis, ut per illam subjectionem subdatur etiam rei sensibili, non est hominem subijci tantum Deo: primum autem factum fuit in prohibitione ligni scientiae boni & mali, secundum vero fieret in institutione sacramentorum.

Dices tertio: Hominem uti rebus sensibilibus tamquam instrumentis, ad acquirendam suam perfectionem, non est hominem subijci rebus sensibilibus: Atqui homo in statu innocentie, non uteretur sacramentis, nisi tamquam instrumentis ad consequendam gratiam: Ergo non subijceretur illis. Minor est certa, Major probatur: quia in illo statu homines uterentur vocibus, & reliquo corpore, tamquam instrumentis, ad instructionem & cognitionem rerum, etiam supernaturalium.

Respondeo distinguendo Majorem: Hominem ad acquirendam suam perfectionem, uti rebus sensibilibus tamquam instrumentis sibi subordinatis, non est illum subijci rebus sensibilibus, concedo: Tamquam instrumentis sibi non subordinatis, nego. Sacramenta autem in statu innocentie, non essent instrumenta subordinata homini, sed tantum Deo cujus essent instrumenta, & a quo suam haberent virtutem. At vero voces & alia signa corporalia, homini connaturalia essent instrumenta sibi ipsi subordinata, quibus subinde non subijceretur, sed magis illi sibi subijceret.

Tertia

19 Tertia ratio quam habet D. Thomas in eodem articulo in argumento *sed contra*, potest sic breviter proponi. Illud quod non est institutum nisi in remedium peccati tamquam spiritualis quaedam medicina, non fuisset necessarium, nec conveniens, morbo spirituali, sui peccato non existente: Atqui sacramenta ex vi decreti quod Deus de facto habuit, sunt quaedam medicinae spirituales, in remedium peccati instituta: Ergo in statu innocentie, in quo non fuisset peccatum, non fuissent etiam sacramenta, ex vi decreti praesentis. Major constat, tum ex illo Christi Matth. 9. *Non est opus vultibus medicus, sed male habentibus*: Tam ex illo Augustini serm. 9. de verbis Apostoli: *Tolle morbos, tolle vultus, & nulla erit medicina caussa*. Minor autem probatur inductione, nam baptismus & poenitentia sunt sacramenta instituta ad tollendum peccatum originale, & actuale. Extrema unctio, ad tollendas peccatorum reliquias. Matrimonium, ad libidinem frenandam & mitigandam, quae nulla fuisset in statu innocentie. De Eucharistia, quam Suarez negat praesupponere peccatum, probatur. Eucharistia supponit Christum venisile in carne passibili, quia ipsum ut talem continet, saltem ex modo quo fuit instituta, ex vi praesentis decreti: Ergo cum adventus Christi in carne passibili dependeat a peccato (quandoquidem etiam illi qui dicunt Christum Adamo non peccante venturum, adhuc fatentur non venturum in carne passibili) ipsa etiam Eucharistia non potest non praesupponere peccatum: Ex quo etiam sequitur, sacramentum Ordinis non fuisse tunc necessarium, quia non est institutum nisi propter Eucharistiam. Denique de sacramento Confirmationis id etiam patet, quia Confirmatio ordinatur ad consequendam gratiam, quae confirmatur in professione fidei postquam superaverit difficultates & persecutiones tyrannorum: Sed haec non haberent locum in statu innocentie: Ergo nec Confirmationis sacramentum.

20 Confirmatur & magis illustratur haec ratio: Omnia sacramenta ex vi decreti quo de facto sunt instituta, habent totam suam vim & efficaciam ex Verbo incarnato, ac ex morte & passione Christi, unde etiam dicuntur a SS. Patribus diuinae esse laterae Christi: Ergo in statu in quo Verbum non fuisset incarnatum & passum, sacramenta nullam habuissent vim, nec proinde extitissent: Atqui Adamo non peccante Christus non venisset, saltem in carne passibili, ut omnes fatentur: Ergo Adamo non peccante, nullum fuisset sacramentum ex his quae instituta sunt. Unde

21 Dico tertio: Si Adamo non peccante, multi ex ejus posteris peccassent, nullum ex vi praesentis decreti, foret pro ipsis sacramentum, ex his quae a Christo instituta sunt.

Probat brevit. Sacramenta ex sua institutione non sunt ordinata in remedium cuiuscumque peccati, sed tantum peccati originalis, aut actualis, ab originali provenientis: Atqui in statu innocentie, Adamo non peccante, nec fuisset peccatum originale, nec actuale ab originali proveniens: Ergo nec ullum sacramentum tunc extitisset, tametsi multi ex ejus posteris peccarent. Minor patet. Major probatur. Cum sacramenta ex modo quo sunt instituta, habeant suam vim & efficaciam ex Verbo incarnato, & morte, ac passione ipsius, & ad hoc tantum fuit instituta, ut merita Christi ad nos deferant, nobisque applicent, consequenter non sunt instituta, nisi in remedium illius peccati, ad quod tollendum valent merita Christi, seu propter quod Christus incarnatus & mortuus est: Atqui Christus non est incarnatus & mortuus, nisi in remedium peccati originalis, aut actualis, ab illo provenientis, ut est probabilior opinio, quam in Tract. de Incarnato, disp. 5. art. 3. defendimus: Ergo sacramenta ex sua institutione, & ex vi praesentis decreti, non sunt ordinata in remedium cuiuscumque peccati, sed tantum peccati originalis, aut actualis ab originali provenientis.

S. III.

Solvuntur Objectiones.

22 Obijcies primo contra primam conclusionem: Apostolus ad Ephes. 5. vocat matrimonium Ade cum Eva, *magnum sacramentum*. Et August. lib. 8. de Genes. ad litt. cap. 4. appellat etiam lignum vite, quod Deus in medio Paradisi terrestris collocaverat, *sacramentum*, ait enim: *Erant ei (scilicet Adamo) in lignis ceteris alimentum, in isto sacramentum*: Ergo pro brevi illo tempore, quo status innocentie in Adamo duravit, institutum a Deo fuit aliquid sacramentum.

23 Respondeo Apostolum non sumere loco citato, ut sumimus modo, nomen sacramenti, pro signo rei sacrae sanctificantis hominem, sed pro mysterio, eodem sensu quo mysterium Incarnationis appellat interdam sacramentum: matrimonium enim in statu innocentie, non fuit institutum in signum gratiae, sed solum in officium naturae, quamvis ex consequenti, sive ex sua ipsius conjunctio- nis natura, significet aliquo modo unionem Christi cum

Theod. Gonet, Tom. V.

Ecclesia, sicut in unum quodque suum simile. Unde D. Thom. hic art. 2. ad 3. dicit: *Matrimonium fuit institutum in statu innocentie, non secundum quod est sacramentum, sed secundum quod est in officium naturae, & ex consequenti tamen aliquid significat futurum circa Christum & Ecclesiam: sicut & omnia alia, quae in figura Christi praesentantur*. Ad illud quod subditur de ligno vite, dicendum est, Augustinum illud appellasse sacramentum, non quod institutum esset in signum praedictum gratiae, sed quia mystice adumbrabat, & figurabat sacramentum Eucharistiae, seu virtutem Christi ad gratiam & gloriam, seu vitam aeternam conferendam.

24 Obijcies secundo: Homini secundum suam naturam considerato congrunt sacramenta, ut supra triplici ratione D. Thomae ostendimus: Sed Adamus in statu innocentie habuit eandem naturam, quam ceteri homines: Ergo in hoc statu, quamvis brevissimo tempore in ipso duraverit, illi conveniebant sacramenta.

25 Confirmatur: Cum homo essentialiter consistat ex corpore & anima, proindeque hanc compositionem retineat in omni statu, & ex illa proveniat quod modus cognoscendi spiritualia per sensibilia, sit connaturalis homini, debuit ille modus cognoscendi servari in statu innocentie, atque adeo institui in illo statu aliquid sacramentum, quo mediante, tamquam signo sensibili, Adamus gratiam sanctificantem, quae est forma spiritualis, cognosceret.

26 Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem: homini secundum suam naturam considerato, in quoqueque statu conveniunt sacramenta, nego. Considerato tantum in statu naturae lapsae, concedo. Solutio est D. Thomae hic art. 2. ubi secundo loco sibi hoc argumentum obijcit: *Sacramenta sunt necessaria homini secundum conditionem humanae naturae: sicut dictum est: sed eadem est natura hominis ante peccatum, & post peccatum: ergo videtur quod ante peccatum homo indiguerit sacramentis*: Cui sic respondit: *Ad secundum dicendum, quod eadem est natura hominis ante peccatum, & post peccatum, non tamen est eadem natura status: nam post peccatum anima, etiam quantum ad superiora patrem, indiget accipere aliquid a corporalibus rebus ad sui perfectionem, quod in illo statu (scilicet innocentie) homini necesse non erat*. Unde quod idem S. Doctor hic art. 1. dixit, *humana natura propria esse, ut per corporalia & sensibilia, in spiritualia & intellectibilia deducatur*, hoc natura sibi relicta, & secundum proprium statum intelligit, non de natura in aliquem sublimiorem statum elevata, qualis erat innocentie status.

27 Ad confirmationem dico, res spirituales quoad sui cognitionem esse in duplici differentia: aliae enim sunt quae lumine naturali cognosci possunt, cuiusmodi sunt naturae angelicae: aliae vero quae lumine solum supernaturali possunt cognosci, nempe gratia, habitus per se initiati, & omnia mysteria Christianae religionis: quamvis autem modus connaturalis cognoscendi res spirituales primi generis, sit ex sensibilibus in homine, & quia earum cognitio oritur per se a sensu, ascenditque ad cor hominis; non tamen modus connaturaliter cognoscendi res spirituales secundi generis, quia eorum cognitio non oritur per se ex sensibilibus, nec ex illis ad cor hominis ascendit, sed ex superiori revelatione descendit; quare signa sensibilia solum per accidens possunt homini esse necessaria ad earum notitiam, quando nimirum repugnantium aliquam partem ex parte sensitiva in tali cognitione, sicut patitur modo in statu naturae corruptae.

28 Obijcies tertio: Adamus gratiam suam habuit ex Christo praesente, & meritis ejus: Sed gratia ex meritis Christi concessa, fertur solum per sacramenta, ut quae merita Christi applicentur: Ergo fuerunt aliqua sacramenta in statu innocentie, pro illo brevi tempore quo in Adamo duravit.

Respondeo primo negando Majorem, ut enim in Tractatu de Incarnatione disp. 14. art. 4. ostendimus, gratia concessa primis parentibus in statu innocentie, cum non esset medicinalis & sanativa, non fuit illis data ex meritis Christi Redemptoris, sed ex sola liberalitate & benignitate Dei Conditoris, Christumque solum fuit illius gratiae reparator, & consummator, ut ibidem fuisse declaravimus.

Respondeo secundo, data Majori negando Minorem: 30 dato enim quod illius gratia Christus fuisset auctor, non inde sequitur quod Adamus eam mediantibus sacramentis receperit; siquidem neque in hoc statu peccati fuerunt sacramenta alligata fuit gratia Christi, ut patet in Jeremia, Joanne Baptista, & aliis Sanctis, quos Christus in utero materni sine Sacramento justificavit.

Nec obstat quod Christus fuit capax & consummator illius gratiae, nam sicut fuit capax & consummator gratiae Angelorum, nec tamen mediantibus sacramentis, quia natura Angelorum non congruit: ita & fuit consummator gratiae Adamo concessae in statu innocentie, non tamen per sacramenta, quia status illi non congruebat. Adde quod non fuit consummator illius gratiae, pro statu

B

inno-

innocentia, qui non fuit status consummationis & praedestinationis, sed pro alio statu, in quo ex meritis Christi reparata fuit.

41 Obijcies quarto: Deus praeficiis peccati Angelorum & hominum, ante eorum lapsum, ignem infernale peccatoribus puniendis preparavit: Ergo cum sit prior ad miserendum quam ad puniendum, aequiori ratione videatur, ante peccatum primorum parentum preparare debuisse sacramenta medicinalia, in remedium talis peccati: eo maxime quod salutiferas herbas, & medendis corporibus convenientes, antequam morbi essent, creaverit. Adde quod providentissimi medici est, non modo praesentibus agri tudinibus mederi, verum etiam ab illis, quae timentur sanos praeservare, subindeque debuit Deus debito congruentia sacramenta instituisse in statu innocentiae, quibus homo ab illa culpa, quam postea contraxit, praeservaretur.

39 Respondeo, concessio Antecedens, negando consequentiam & paritatem: discrimen est quod ex una parte Dei misericordia contrariari non debet ejus sapientiae omnia suavititer disponendi, secundum rerum naturas & indigentias, aliunde vero ignis inferni, cum sit corpus naturale & elementare, ad universi perfectionem conaturalam pertinens, debuit simul cum ipso universo creari; idemque dicendum est de herbis medicinalibus, quae cum sint res naturales, & ad opus creationis pertinent, debuerunt pariter cum ipso universo, ut partes ejus naturalis creati: sacramenta vero, cum sint res supernaturales & artificiales, ad perfectionem naturalem universi non spectant, unde non debuerunt ante peccatum institui, & cum ipso universo creari.

33 Nec obstat quod subditur de prudenti Medico, qui non solum praesentibus agri tudinibus debet mederi, verum etiam ab illis quae timentur sanos praeservare: facile enim responderetur, in statu innocentiae hominem nedum medicina sanante, sed nec praeservante eguisse; medicina enim praeservativa non debet applicari nisi iis qui jam sunt dispositi ad morbum, & quibus ob aliquem humorem corruptum timeatur morbus; in statu vero innocentiae sicuti nulla erat ignorantia, nulla passio inordinata, sed summa facilitas facienda quodcumque bonum: ita nulla erat dispositio & propositio in morbum. Quod vero Adam de facto peccaverit, hoc ex propria ipsius malitia ortum habuit, non vero ex prava aliqua dispositione qua esset affectus, & ideo non indigebat medicina praeservativa. Praeterea quod sufficienter ipsi provisum fuerat per justitiam originalem, & donum integritatis, aliaque dona & privilegia quibus in illo felicissimo statu dotatus fuit: Erat enim (inquit Augustinus in concione ad Catechum.) pudicitia armatus, temperantia composuit, claritate splendens, ipsum (subdit Bernardus serm. 2. de Annunt.) misericordia custodit, docebat veritas, regibat justitia, pax fovit. Denique ut ait Ambrosius Operans erat virtutum volumine, priusquam peccaretur.

34 Obijcies quinto cum Suarez contra secundam conclusionem: Sacramenta in statu innocentiae habuissent congruam rationem suae institutionis, & in quantum sunt signa, & in quantum sunt causa: Ergo fuissent in illo. Consequentia patet. Antecedens quoad primam partem probatur. Sacramenta sunt signa deservientia non solum ad acquirendam cognitionem rerum supernaturalium, sed ad alias etiam utilitates, puta ad proficiendum interiori fidei, ad excitandum memoriam & affectum erga bonitatem Dei, ad quandam representationem mysteriorum supernaturalium, ad consensionem & unitatem hominum in una religione: Ergo in quantum signa habuissent congruam rationem suae institutionis. Secunda etiam pars Antecedens probatur. Prodece gratiam per res sensibiles, est unum ex maximis operibus potentiae, sapientiae, & bonitatis divinae; & insuper non parum videtur redundare in hominum utilitatem, ut ex opere operato conferatur ipsis gratia: Ergo sacramenta, etiam in quantum sunt causa gratiae, habuissent in statu innocentiae congruam rationem suae institutionis.

35 Respondeo, negando Antecedens, ad probationes in primis dico, omnes illas utilitates non esse sufficientes ad sacramenta instituenda, si desit primarius & principalis finis sacramentorum, qui est homines per illa sanctificari: sicut non veniret Christus in carne passibili, si deficeret finis redimendi a peccatis, licet alia congruentia essent. Secundo dico, illas omnes congruentias potuissent quidem Deum movere, ut institueret quaedam sacramenta diversae utilitatis a nostris, ex vi alterius decreti, sed quod ex vi decreti quod Deus habuit de facto, & ex quo modo fuit instituta in remedium peccati, ea instituit in statu innocentiae, non probat Suarez, & contrarium non ostendimus conclusionem secundam duplici ratione. Adde quod sacrificia, oblationes alique cultus externi, abunde sufficerent ad varias illas utilitates, quae & fufe & inutiliter referuntur a Suarez.

36 Obijcies sexto: Sacramenta vivorum, puta Eucharistia, & Ordo, sunt per se instituta ad significandum & causan-

dum augmentum gratiae: Sed in statu innocentiae gratia quam habuissent homines a nativitate, potuissent augeri; Ergo in eo statu ad producendum & significandum illud augmentum sacramenta fuissent instituta.

47 Respondeo sacramenta vivorum esse instituta ad augendam gratiam, vel regenerativam, vel sanativam, quae mirum primo collata sit per sacramenta mortuorum, ut est gratia baptismalis, vel gratia in sacramento poenitentiae recuperata: non vero ad augendam gratiam seu justitiam originalem, quae nullam praesupponit agri tudinem. Potuisset autem hac gratia aliis modis augeri, puta per exercitium bonorum operum, maxime vero actuum caritatis, quos in statu innocentiae facillimum erat elicere.

48 Dices, Saltem Eucharistia in illo statu potuit institui, ut per illam homines intimius Christo unirentur: Ergo congruum fuit, quod saltem Eucharistia institueretur in statu innocentiae.

49 Sed nego Antecedens, quia non existente Ada peccato, Christus non venisset in carne passibili, quem tamen adventum Eucharistia supponit. Denique Eucharistia est instituta per modum medicinae praeservativae, ad succurrendum noctuae fragilitati, & a frequenti lapsu nos praeservandum, unde etiam datur per modum cibi & potus confortantis nos etiam in infirmitate praesupponentis, quae omnia fuissent in statu innocentiae.

49 Obijcies septimo: In statu innocentiae potuissent homines peccare, sicut de facto peccavit Adam: Ergo pro illis reparandis debebat sacramenta esse. Consequentia videtur manifesta, in illo enim statu in quo possent esse vulnera, non essent incongruae medicinae.

40 Respondeo, concessio Antecedens, negando Consequentiam: nam supposito etiam quod aliqui ex posteris Ada peccassent, non fuisset adhuc congruum, ut essent sacramenta; quia quando natura humana in suo capite & pluribus ejus membris reinisset integritatem & justitiam originalem, non fuisset congruum ut subderetur aliquo modo rebus sensibilibus, in acquisitione gratiae & scientiae rerum supernaturalium, quamvis in aliquibus individuis ad hujusmodi rectitudine & integritate deciderat, sed quando diu mansisset absolute in capite, & pluribus ejus membris, in illa dispositione tandem fuisset consentaneum rationi, ut nedum perfectionem gratiae & scientiae rerum supernaturalium acquireret sine dependentia a sensibilibus, per immediatum influxum Dei, sed etiam ut eam recuperaret, si in aliquibus individuis eam aliquando per peccatum amisset. Unde si in statu innocentiae aliqui homines peccassent, non recuperassent gratiam mediante sacramentis, sed per actus caritatis & contritionis, quos ob perfectionem Dei cognitionem, facilius in eo statu elicere potuissent quam nos; subindeque sacramento poenitentiae, supplente vires perfectae contritionis, non indigissent: sicuti nos.

§. IV.

Aliud argumentum solvitur, & an in statu innocentiae fuissent sacrificia, declaratur.

41 Obijcies ultimo: In statu innocentiae fuissent sacrificia: Ergo & sacramenta. Consequentia videtur legitima, tum ex paritate rationis; tum etiam quia homo in illo statu ideo uteretur sacrificiis, quia consistit corpore & anima, & in utroque Deum debet colere: Ergo eadem ratione deberet uti sacramentis, ut sanctificationem suam, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter, id est mediante signo sensibili externo, & corporeo, consequeretur.

48 Respondeo Soto in 4. diff. 1. q. 2. art. 2. negando Antecedens; existimat enim, quod sicut in statu innocentiae non fuissent sacramenta, ita nec sacrificia.

49 Sed hoc solutio difficit, nam S. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. ait quod offerre Deo sacrificium est de jure naturali, quia in qualibet aetate, & apud quaslibet hominum nationes, semper fuit aliqua sacrificiorum oblatio. Pro cuius ampliori notitia

43 Sciendum est, homines lege naturali obligari ad colendum Deum, propter summam ipsius excellentiam, supremamque dominium. Verum Deus potest ab homine coli tribus modis, primo per actus pure internos, quibus consistit ipsum esse unum & trinum, creatorem, & conservatorem, ac demum glorificatorem. Secundo per virtutum officia, & laudes exteriores, ac enarrando mirabilia ejus. Tertio per sacrificia & oblationes, offerendo scilicet illi de bonis corporeis & sensibilibus. Non solum autem est de jure naturae, Deum colere actibus interioribus, aut exterioribus virtutum, & enarratione mirabilium ejus, sed etiam bonorum temporalium oblationibus. Cujus rationem assignat D. Thomas loco citato, quia ratio naturalis dicitur homini, ut alicui superiori, scilicet Deo subdatur, propter defectus quos sentit in seipso, in quibus eget adjuvari & dirigi ab illo, eique cultum, subjectionem, & honorem exhibere secundum modum suum: modus autem conveniens homini est, ut aliquibus sensibilibus utatur ad aliqua exprimen-

ARTICULUS II.

An in statu legis naturae fuerint vera sacramenta, nam pro adultis, quam pro parvulis, & aequo immediate a Deo determinata fuerint, & necessaria necessitate medii ad salutem?

§. I.

Quibusdam praemissis referuntur sententiae.

51 Suppono primo, statum naturae per peccatum corrupta secundum triplicem legem dividi: alius enim est itatus hominis lapsi sub lege naturae, qui duravit ab Adam lapso usque ad Moysen, & dicitur legis naturae, non quasi distincta contra legem supernaturalem, ita ut sola praecipua, quae dictamen rationis naturalis suggerit, obligarent (nam revera sub illa lege implebantur etiam praecipua supernaturale fidei, spei, & caritatis) sed ut distincta a lege scripta, quia scilicet in illo statu nulla fuit lex scripta mandata ex instituto Dei, sed lex naturalis, solo intuitu interiori naturae, & lex supernaturalis, sola inspiratione Dei quasi per modum naturae, erant cognita. Alius vero status fuit hominis lapsi sub lege scripta, qui duravit a Moysae usque ad Christum. Alius denique sub lege gratiae, qui a Christo usque ad finem mundi duraturus est.

52 Suppono secundo, quod licet status legis scriptae, rigo-rose loquendo, non incoepit nisi a tempore quo lex fuit tradita Moysi (appote cum ante id tempus nullum Dei praecipuum fuerit litteris mandatum, saltem ex divina institutione) tamen ubi primum circumcissionis praecipuum Deus Abrahamo imposuit, statim coepit declinare status legis naturae, & insinavit se status legis scriptae, eo quod circumcisio fuit (ut docet D. Thomas in 4. diff. 1. q. 2. art. 1. quae sunt. 2. ad 1.) quaedam dispositio & preparatio ad legem scriptam propter quod tempus quod inter Abraham & Moysen fluxit, acute vocant Theologi, continuum legis naturae, & legis scriptae; sicut intervallum temporis quod a Joanne Baptista usque ad Christum condentem legem gratiae transmissum est dicitur continuum legis scriptae & legis gratiae, ipseque Joannes, terminus legis, & initiationis Evangelicis, a D. Thoma 3. parte q. 38. art. 1. ad 2. & a Petro Chrysolologo serm. 91. legi Evangelicis tribuitur, appellatur.

53 Non procedit autem difficultas de lege naturae nisi ut a tali ejus & legis scriptae continuo praecise atque adeo de illo duntaxat tempore quod ab Adam lapso, usque ad praecipuum circumcissionis Abrahamo impostum, fluxit; certissimum enim est circumcissionem fuisse sacramentum, ut ostendimus Tractatu sequenti ubi de Baptismo & de circumcissione que illum praecessit & ubi baptismi successit differemus.

De statu ergo legis naturae sic considerato, tria inquirimus. Primum est, an in eo vera sacramenta tam parvulis, quam pro adultis fuerint? Secundum, an talia sacramenta fuerint a Deo immediate determinata, vel relicta in hominum arbitrio? Tertium, an ea fuerint necessitate medii ad salutem necessaria?

Circa primum, Soto, Martinus de Ledesma, Martinez de Prado, & alii docent, nulla profertur in statu legis naturae fuisse vera sacramenta, Suarez vero, Valquez, Delgado, & alii ex Recentioribus, contendunt quidem in tali lege fuisse sacramentum ad defendendum peccatum originale, institutum pro parvulis, negant tamen fuisse aliquid ad delenda peccata actualia, institutum pro adultis.

Circa Secundum, Scotus & Ricardus asserunt, illud saltem sacramentum, quod pro parvulis justificandis institutum erat in lege naturae, fuisse a Deo immediate determinatum in particulari, sicut sacramentum circumcissionis in lege scripta.

Circatertium Hugo Victorinus lib. 1. de sacramentis p. 2. cap. 3. & 6. dicit sacramentum in lege naturae pro parvulis, fuisse devotionis & non necessitatis. Suarez vero hic diffinit. 4. admittit sacramenta in lege naturae fuisse quidem necessaria pro parvulis, eo quod sint incapaces contritionis, secus tamen pro adultis, quia poterant justificari per solam contritionem. Alii ex opposito asserunt, sacramenta tunc fuisse solum necessaria adultis, non autem parvulis, quia ad eorum justificationem ab originali, sufficiebat fides parentum. Ita docent Albertus Magnus in 4. diff. 1. quae 11. Paludanus qu. 5. art. 5. Cano relectione de sacramentis in genere, Valquez, Meratus, Bernal, & alii.

§. II.

Triplex conclusio triplex difficultas hypotesis resolvitur.

54 Deo primo: In lege naturae fuerint vera sacramenta pro parvulis & pro adultis, in remedium peccati originalis, & actualis.

Prima pars conclusionis probatur primo ex D. Augustino lib. 5. contra Julianum cap. 11. hae scribente: Non est credendum autem datam circumcissionem famulae Dei (quandoquidem illis tunc Mediatoris fides) nullo ejus sacramento operum.

50 menda, quia ex sensibilibus cognitionem accipit. Ratio ergo naturalis distat homini, ut utatur aliquibus rebus sensibilibus, offerens illas Deo in signum debite subjectionis & honoris: Sed hoc pertinet ad rationem sacrificii: Ergo offerre Deo sacrificium est de jure naturae.

44 Confirmatur: Homo non tantum accipit a Deo corpus & animam, sed etiam res exteriores, quibus ad animi profectum oblationem, vel exercitium, & ad corporis sustentationem & conservationem utitur: Ergo non solum corpore & animo debet Deum colere, sed etiam rebus externis, quarum oblatione, consumptione, aut alio simili usu, proferretur Deum esse omnium dominum, eique gratias agat; juxta illud 1. Paralip. 29. In hoc sunt omnia, & de iis qui de manu tua accepimus, debemus tibi: Ergo offerre Deo sacrificium est de jure naturae, & ad hoc homo fuisset obligatus, etiam in statu innocentiae, si perseverasset.

45 Dices primo cum Soto: De ratione sacrificii est, quod sit pro peccati institutum, quod sit ex propriis bonis offerens, & quod cadat in usum ministrorum: Sed in statu innocentiae non fuisset peccatum, nec honorum proprietates, quin immo omnia fuissent communia, & sic non potuisset sacrificiorum materia cadere in usum ministrorum, quia nullam partem fuissent necessitatem: Ergo non potuissent esse sacrificia.

46 Respondeo haec omnia enumerata non esse de ratione sacrificii ut sic, sed ei acciderent, supposita amissione justitiae originalis; nam de essentia sacrificii ut sic, solent esse quod ordinatur ad recognoscendam supremam Dei majestatem, & consequenter ad protestandam subjectionem nostram ad Deum: unde propter has causas extrinsecas non est negandum sacrificium in statu innocentiae, quo intrinseca ratio ejus cum perfectione illius status non repugnet, sed maximum habeat congruentiam. Praeterea quod saltem est quod ait Soto, nempe quod in statu innocentiae non fuisset peccata: si status justitiae originalis perseverasset, homines non fuissent in gratia confirmati, ut docet D. Thomas 1. parte quae 101. art. 2. subindeque peccare potuissent, ut infelix Adam casus facti demonstrat.

47 Dices secundo: Omnes juxti legis naturae servarunt ea quae sunt juris naturalis: sed nulli in Scriptura legitur de Isaac quod sacrificium obtulerit, sic nec de Adam, postquam & paradisi terrestri ejectus est: Ergo offerre Deo sacrificium non est de jure naturae.

48 Respondeo, concessio Majori, negando Minorem: nam ut ait D. Thomas 2. 2. q. 85. art. 1. ad 2. Adam & Isaac, sicut alii justis sacrificium obtulerunt Deo secundum sui temporis congruentiam ut patet per Gregorium lib. 4. Moralium cap. 2. qui dicit quod apud antiquos per sacrificiorum oblationem remittebatur peccati peccatum originale. Non tamen de omnibus solum sacrificiis sic mentio in Scriptura, sed solum de illis circa quos aliqui specialiter accidit. Possent autem esse ratio quare Adam non legitur obtulisse sacrificium, ne scilicet quia in ipso novatur origo peccati, similiter etiam in eo sanctificationis origo figuratur. Isaac vero significavit Christum, in quantum ipse oblatio est in sacrificium, unde non oportebat ut significaretur quasi sacrificium offerens.

49 Alter ergo ad principalem objectionem respondeo, concessio enim Antecedens, nego consequentiam & paritatem: duplex enim est ratio discriminis. Prima patet ex jam dictis, sacrificiorum enim oblatio (ut ostendimus) est de jure naturae, illud autem quod est de jure naturae, debet in quolibet statu reperiri, sacramenta vero non sunt de jure naturae: quia nec consequuntur ex lumine naturali per se & necessario, neque conaturalia sunt gratiae, cum illa conaturaliter possit sine sacramentorum adminiculo communicari, ut patet in Angelis, & in primis parentibus, ac in illis justis, qui in utero matris a Deo sanctificati sunt.

50 Secunda ratio discriminis est, quia cultus Dei externus, est aliquid debitum Deo, ex subjectione quam habet homo Deo, non solum spiritualiter, sed etiam corporaliter; sanctificationem autem ipsius hominis fieri per signa corporalia, non est debitum naturae humanae, quando talem statum habet, ut perfectissime Deo subiciatur, quia tunc ex vi subjectionis hujus sanctificationem hanc habere debet. Unde licet non sit inconveniens in statu innocentiae signa externa fuisse, quibus homines in rebus facies communicarent (hoc enim potius perfectionem dicit, cum hac signa ex sanctificatione interna dimanaverint) erat tamen inconveniens, quod homo in eo statu his signis subiceretur, ut ab eis suam perfectionem & sanctificationem emendicaret, ut supra ostensum est. Ex quo patet responsio ad secundam probationem consequentia: quia enim homo constat corpore & anima, in utroque debet cultum Deo reddere, secundum protestationem interiori & exteriori; sed quando constat corpore & anima perfecte Deo subiecta (sicut constabat in statu innocentiae) non debet sanctificationem suam ex signis externis, sed ab ipso Deo immediate accipere, Et quidem cum sanctificatio sit quod solum spirituale, non est per se loquendo necessarium cum applicari corporaliter: cultus autem Dei & spiritualiter & corporaliter debet exhiberi, quia in utroque subicitur homo Deo.

Inops esse parvulis suis, quamvis quid illud esset, aliqua necessaria causa, scribitur. *Ubi ponderandum est, S. Doctorem loqui de sacramento proprie dicto, quatenus a sacrificio distinguitur. Tum quia Scriptura non tacet sacrificia legis nature, quandoquidem Genes. 4. sacrificium Cain & Abelis, 8. sacrificium Noe, 14. sacrificium Melchisedech, & Job 1. sacrificium hujus Patriarche narrantur. Unde subdit Augustinus post verba recitata: Nam & sacrificia eorum legimus, quibus utique sanguis ille figurabatur, qui filius tollit peccata mundi. Tum etiam, & maxime, quia illud sacramentum non erat, sicut sacrificium, ut distinctum a sacramento, signum mere speculativum, sed practicum ipsius gratiae, utpote in actuali ejus applicatione parvulis de facto conferenda. Item D. Cyprianus in libro de cardinalibus Christi operibus, capite de circumcissione ait: Sane originale peccatum, quod a primis parentibus in vitam generis hujus successione descendit, omni tempore aliquibus remediis oportet expiare. Ibidem autem talia remedia vocat sacramenta: verba autem Patrum in materia dogmatica, debent proprie sumi, nisi ex eo sequatur aliquid inconveniens, quod nullum potest assignari in presenti. Idem asserit Hugo de S. Victore lib. de sacramentis, p. 2. cap. 1. ubi addit, non recte sentire qui contrarium opinantur.*

53 Probatur secundo eadem pars ex D. Thoma hic art. 2. loquendo de toto tempore quod fuit post peccatum Adami, ante Christi adventum (quod comprehendit statum legis nature, & tempus circumcissionis precepte Abrahamo, & tempus legis Moysae), ait, quod necesse fuit quaedam sacramenta a sapientibus. Et infra quest. 70. art. 4. ad 2. hac scribit. *Probabile est, quod parvuli fideles pro parvulis nati, & maxime in portu existentibus, aliquando peccata commiserunt, vel aliquam benevolentiam eis habebant, quod erat quaedam signum salutis, sicut adhibere pro seipso peccata & sacrificia offerre. Ergo tam externa sacramenta agnoscat S. Thomas pro remedio parvulorum in lege nature, de qua ibi loquitur, quam externa fuerunt sacrificia pro salute adultorum.*

56 Probatur tertio eadem pars ratione fundamentali. Remedii peccati originalis est verum sacramentum: Sed in lege nature fuit aliquid remedium pro peccato originali, illudque fuit sensibile: Ergo in lege nature aliquid sacramentum a Deo institutum est in remedium peccati originalis. Major patet, nam remedium sensibile ordinatum ad culpam originalem delendam, est significativum gratiae, tale peccatum tollens: Sed signum sensibile gratiae, est verum sacramentum: Ergo remedium sensibile peccati originalis est verum sacramentum. Minor etiam quantum ad primam partem certa videtur, nam Deus vult voluntate antecedenti omnes homines salvos fieri, subindeque dat omnibus sufficientia remedia ad salutem juxta singulorum capacitatem, hujus enim voluntatis effectus, est ipse ad se in seipsum salutis, & promissionis in finem, omnibus communiter proposita, cum naturalibus, quam gratia, inquit S. Thomas in 1. dist. 46. quest. 1. artic. 1. unde cum parvuli sub tali voluntate & providentia Dei generali comprehendantur, debuit Deus in quacumque lege & statu nature, sufficienter remedium ad salutem, subindeque ad tollendam maculam peccati originalis, ipsis preparare.

57 Confirmatur: Post legem scriptam femina apud Judaeos justificabatur ad originali, etiam cum parvula essent, neque enim verisimile est, in populo fidei masculos ab originali justificari, & non feminas, cum autem eis non applicaretur nisi remedium legis nature (nec enim de alio conitat, cum non fuerit in lege aliquid institutum) manifeste sequitur, quod pro parvulis erat remedium originale in statu legis nature.

58 Quod vero tale remedium fuerit sensibile (ut secunda parte Minoris principalis asseritur) multipliciter suadetur. Primo, quia oportebat remedium illud legis nature parvulis applicari, ut ipsi consequerentur salutem: Sed non est conveniens applicatio inter homines, & modo humano, si fiat per actum pure internum, & non externa aliqua operatione: Ergo tale remedium legis nature, non erat pure spirituale sed externum, ac sensibile.

Secundo, parvuli dum justificabantur in lege nature, adunabantur Ecclesiae fidelium, non minus quam adulti: Sed in nullum religionis nomen (inquit Augustinus) adunantur homines, sine sacramentorum visibilium consortio: Ergo remedium illud quo parvuli in lege nature justificabantur, erat externum & sensibile, & non pure internum & spirituale.

Tertio, Ecclesia semper fuit visibilis: Ergo & id quo parvuli in lege nature fiebant membra Ecclesiae.

Quarto, Remedio legis nature pro justificatione parvulorum, successit in lege scripta circumcisio, & in lege nova baptismus: Ergo sicut ista remedia sunt externa, & sensibilia, ita & illud quod in lege nature pro justificandis parvulis institutum erat.

Quinto, Decuit ut sicut Saluator hominum homo sensibilis erat; ita etiam homines in omni lege, & statu, salutem per ipsum consequerentur, mediante signis sensibilibus.

Denique, Si remedium quod erat in lege nature pro justificatione parvulorum, fuisset aliquid inensibile, nempe solus actus fidei interioris parentum in Christum venturum, ad parvulos suos explicitè vel implicitè directus, ut docent Adversarii, vel habuisset talis actus ex sua natura, vel solum ex divina institutione, quod solus justificaret illos parvulos? Non ex natura sua, tum quia non fuit tunc actus fidei ex natura rei majoris efficaciae, quam sit modo post Christi adventum: modo autem non sufficit fides ex sua natura ad aliquam justificationem. Tum etiam, quia cum ex natura rei sola fides non possit producere in habente fidem ipsam gratiam, multo minus id in alio potest efficere. Quod si dicatur id fecisse ex institutione divina, contra est, quia sicut adversarii fingunt ex divina institutione fidem parentum hanc virtutem & efficaciam habuisse, ita non multo rationabilius dicere possumus, Deum instituisse signa sensibilia ad hanc sanctitatem efficiendam, quandoquidem hic modus homines justificandi est communis, & magis ipsis conveniens.

Addo quod in nostra sententia, major reperitur analogia & proportio, inter mentum peccati originalis, & ejus remedium; cum enim peccatum originale, carnis propagatione contraheretur in lege nature, sicut modo non erat consentaneum, nisi ut corporali etiam remedio, atque sensibili sanaretur.

Ex his probata manet contra Suarez, secunda conclusio, quae asserit in lege nature fuisse pro adultis aliquid sacramentum ad delenda peccata actualia, debuit enim divina providentia non minus aliquid remedium ad delenda peccata actualia, quam ad tollendum peccatum originalem preparare, cum habeat voluntatem antecedentem salvandi omnes homines, sive parvulos, sive adultos, & per talem voluntatem salutis media, seu remedia, hominibus preparantur, ut supra ex D. Thoma vidimus: Sed remedium ad delenda peccata actualia in lege nature institutum, non minus debuit esse sensibile, quam remedium ad tollendum peccatum originale in eadem lege institutum, cum rationes quae hoc probant de uno, id etiam fudeant de alio: Ergo in lege nature fuit aliquid remedium sensibile ad tollenda peccata actualia, subindeque aliquid sacramentum, in remedium peccatorum actualium pro adultis institutum.

Confirmatur ex D. Thoma infra q. 84. art. 7. ad 1. ubi sic ait: *De jure naturali est quod aliquis peccator de peccato suo sciat, quantum ad hoc quod dolens ea fecisset, & dolens remedium quare per aliquem modum, & quod etiam aliquo signo dolens ostendat, sicut & Nativitas servatur, ut supra 3. legitur. Et in solut. ad 2. docet quod in lege veteri peccantia habuit aliquam determinationem, non solum quoad dolorem de commissa, sed etiam quantum ad remedium dolens querendum ut aliquo modo ministris Dei homines confiterentur peccata sua saltem in generali. Legitur si de jure naturali erat remedium dolens querere, & signa dolens ostendere, ostendebat in lege nature hujusmodi remedium esse, subindeque aliquid sacramentum ad delenda actualia institutum. Unde idem S. Doctor in 4. dist. 1. art. 2. quest. 3. ad 2. Ante legem scriptam (inquit) erant quaedam sacramenta necessaria, sicut illud fidei sacramentum quod ordinatur ad deletionem peccati originalis, & similia peccantia, quae ordinantur ad deletionem peccati actualis. Cujus aliquid vestigium in Scriptura invenitur, apud Job capite ultimo, ubi invenitur sacrificia pro remissione peccatorum amicorum Job.*

Verisimile etiam est in statu legis nature fuisse necessarium aliquid sacramentum, ad conservandum se in gratia, & illam augendam, correspondens Eucharistiae nostrae, quae fuit figurata per oblationem Melchisedech. Nec probabile est quod ait Suarez, tale sacramentum ad solam familiam Melchisedech fuisse restrictum, cum neque Scriptura, neque traditio dicant quod Deus tale sacramentum ad familiam Melchisedech restrinxerit, & aliunde omnes congruentia, quae asseri possunt hujus institutionis pro illa familia, valeant etiam pro aliis.

Dico secundo: Sacramenta legis nature non fuisse determinata immediate a Deo in particulari, sed relicta in hominum arbitrio.

Probatur primo ex D. Thoma hic art. 3. ad 2. ubi de sacramentis veteris legis ait: *Comparabantur ad sacramenta quae fuerunt ante legem, sicut determinantur ad indeterminatem: quia scilicet ante legem non fuit determinatum praefixum homini quibus sacramenta crearentur. Quod intelligendum est de sacramentis, quantum ad signa visibilia quibus homines protebantur in lege nature fidem suam de futuro adventu Salvatoris, non autem de ipsa profectione fidei, quae ex divina intentione erat hominibus necessaria ad salutem, ut infra magis declarabitur.*

Probatur secundo conclusio ratione quam ibidem insinuat idem S. Doct. Cum status legis nature esset a Christo remotior statu legis scriptae, fidem in ipsam habebat magis obscuram, & consequenter non exigebat sacramenta a Deo in particulari determinata.

Tertio, cum eo tempore nondum esset Scriptura sacra usus,

us, neque homines in unam corpus adunarentur, vix potuisset divina talium signorum determinatio omnibus imnotescere.

Denique non est assignabile ex Scriptura aut traditione aliquod signum sensibile, in quo determinate sacramentum in remedium peccati originalis Deus in lege nature instituerit, aliunde vero nulla asseri potest hujus determinationis congruentia, sed potius ejus indeterminatio congrua erat statui illius legis, ut ostensum est: Ergo absque fundamento Scotus & Ricardus asserunt, illud sacramentum fuisse immediate a Deo determinatum in particulari.

65 Quamvis ergo divina institutione revelata Adae, ab illoque posteris indicata determinate praefixum fuerit homini in lege nature, ut pro sacramentis uteretur profectione fidei de Salvatore venturo, facta signa aliquo exteriori (non enim voluntati hominis relicta est, ut ipse sacramenta institueret, ut pro sacramentis uteretur quibus rebus voluisset hoc tamen signum non fuit divina institutione determinatum, sed interiori instinctu determinabant se homines, quo signo, actu vel ritu, aut quibus rebus sensibilibus uterentur, ad praedictam fidem protestandam, ut colligitur ex D. Thoma q. praecedenti art. 5. ad 3. ubi sic ait: *Sicut in statu legis nature homines nulla lege exteriori data, sed solo interiori instinctu movebantur ad Deum colendum, ita etiam ex interiori instinctu determinabantur eis, quibus rebus sensibilibus ad Dei cultum uterentur. Et 1. 2. q. 103. art. 1. Quia ante legem (inquit) fuerunt quidam viri praecipui prophetae spiritum patientes, credendum est, quod ex instinctu divino, quasi ex quadam privata lege inducerentur ad aliquem certum modum colendi Deum, qui & convenienter esset interiori cultui, & etiam congrueret ad significandum Christi mysteria. Qui modus colendi Deum non erat sacramentum ipsum secundum substantiam, sed ritus quo conficeretur, aut signum exterius quo profectione externa fidei de Salvatore venturo, in qua substantia sacramenti consistebat, fieret.*

66 Advertendum tamen est, quod licet Propheta, & viri sancti hujusmodi signis sensibilibus ex divino dumtaxat instinctu determinatis uterentur ad protestandam fidem de Salvatore venturo in sacramentis, & in sacrificiis; valde tamen probabile est, quamlibet Republicam determinasse in particulari, per commune civium suffragium, sacrificiorum & sacramentorum materiam; tum quia id expediebat ad perfectam unitatem & uniformitatem religionis servandam: Tum etiam quia ad Republicam bene institutum pertinet dirigere civem, non solum in ordine ad bonum temporale, sed etiam, immo & maxime, in ordine ad bonum spirituale. Unde licet quilibet particularis possit valde alia signa sensibilia, quam determinata a Republica sua, pro materia sacramentorum, aut sacrificiorum assumere, quia haec determinatio signorum in particulari non erat de jure divino; peccasset tamen tunc propter scandalum, tum propter periculum cui se exposuisset, assumendum signa quae fortasse finibus sacramentorum vel sacrificiorum significandis non fuissent ita proportionata & convenientia, sicut determinata a Republica.

Nulli autem mirum esse debet, quod Deus cum haec determinatione materiam, legis nature sacramenta instituerit, nam etiam in lege Evangelica sacramentum matrimonii instituit cum aliquo simili determinatione, ut disp. praecedenti art. 3. declaravimus; eandem autem similem indeterminationem plures graves Theologi (quos ibidem retulimus) in materia sacramenti Ordinis admittunt.

67 Dico tertio: Sacramenta fuisse necessaria in lege nature necessitate medi non solum parvulis, sed etiam adultis. Explicatur conclusio: Illud dicitur necessarium necessitate praeccepti, quod est quidem in praeccepto, sed tamen sine illo salvari quis potest, vel propter ignorantiam, vel propter impotentiam: necessarium autem necessitate medi est illud sine quo nullus salvari potest, nec excusatur ob ignorantiam, vel impotentiam; sicut quantumcumque quis ignoret Baptismum, si tamen illum non suscipiat, salvari non potest. Dicimus ergo, quod in statu legis nature sacramenta quae ad delendum peccatum originale & actualis, pro parvulis & adultis a Deo instituta fuere, erant in eo statu ad salutem necessaria, nedum necessitate praeccepti, sed etiam necessitate medi.

68 Probatur prima pars ex dictis in prima conclusione, ibi enim ostendimus, quod in statu legis nature non sufficiebat pro justificatione parvulorum sola fides, vel actus interior, sed requirebatur insuper signum aliquod exterius & sensibile, quo fides interior de venturo Salvatore declararetur, subindeque aliquid sacramentum.

69 Confirmatur: Nulla est ratio cur in lege scripta, & in lege nova fuerint, & sint necessaria necessitate medi sacramenta externa, & in statu legis nature, sine externo signo parvuli justificari potuerint; siquidem non minus necessaria erant signa sensibilia in lege nature, quam in aliis statibus.

70 Probatur secundo eadem pars ex absurdo & inconvenienti quod sequitur ex adversa sententia: si enim sola fides pro-

rentum in lege nature fuisset sufficiens ad salutem parvulorum, cum aequo illis qui nondum nati essent, ac eis qui jam nati fuissent, applicari potuisset, justificasset pueros in utero marero morientes, quod tamen non potest admitti: alias enim non tantum per accidens, sed etiam per se & ordinarie facilius fuisset via salutis pro parvulis in illa lege, quam sit modo pro parvulis in statu legis gratiae, utpote quibus applicari nequit adhuc in utero materno existentibus remedium unicum (scilicet baptisma) ad eos salvandos a Christo institutum.

Dices contra hanc rationem: sicut Deus secundum legem 71 ordinariam, modo non regenerat nisi prius natum per naturam, ita neque tunc voluit, ut fides parentum prodesset parvulis, nisi natis per naturam, atque adeo extra uterum matris existentibus.

Sed contra: Ideo Deus secundum legem ordinariam modo non regenerat, nisi prius natum per naturam, quia illud quod secundum legem ordinariam regenerat, non est applicabile puero nondum nato, ut docet D. Thom. infra q. 67. art. 1. ad 1. his verbis: *Pueri in matris utero existentes, nondum producantur in lucem, ut cum aliis hominibus vitam auceant; unde non possunt subijci actioni humanae, ut per eorum ministerium sacramenta recipiant ad salutem. Sed fides parentum fuisset applicabilis suis parvulis nondum natis; tempore legis nature: Ergo pro talem fidem illi fuissent regenerati.*

Potest insuper suaderi eadem pars eo quod nostra sententia magis quam opinio contraria, repugnet doctrinae haereticorum nostri temporis, asserentium non esse necessarium modo Baptismum in re parvulis, sed sufficere illis ad salutem, quod ex parentibus fidelibus nati sint, idque quia (inquit) alias deterioris conditionis essent infantes modo in lege gratiae, quam in lege nature, quandoquidem illis sufficiebat ad salutem fides parentum.

Ex his probata manet secunda pars conclusionis, quae asserit sacramentum in lege nature pro adultis institutum ad remissionem peccatorum actualium, fuisse illi necessarium ad salutem, necessitate medi: nam licet illi possent habere interiores actus fidei & caritatis, tamen ad salutem erat tunc necessaria ipsa protestatio & confessio fidei, juxta illud Roman. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Ergo in tali lege, adultis necessarium erat ad salutem necessitate medi, sacramentum aliquod externum & sensibile, quo interior fides de venturo Salvatore declararetur.

Addo quod in omni statu remedium originale peccati, quod erat necessarium parvulis sine propria dispositione, erat necessarium adultis cum propria dispositione, solum enim in hoc erat differentia ex parte dispositionum; ex parte autem signi sensibilis, quod per talem dispositionem suscipiendum est, omnibus deberent uti in fide communi Ecclesiae, & non aduti in dispositione propria, ut recte dicit Joannes a S. Thoma hic art. 3. dub. 2. Unde S. Thomas supra citatus ait, quod ante legem scriptam erant quaedam sacramenta necessaria, sicut illud fidei sacramentum quod ordinabatur ad deletionem peccati originalis, & similia peccantia, quae ordinantur ad deletionem actualis.

§. III.

Solvuntur objectiones.

75 Obijces primo contra primam conclusionem: Status legis nature non habuit particularia praeccepta Dei circa supernaturalia, quae positive a Deo darentur, alias non differret a lege scripta: Ergo neque habuit sacramenta. Consequentia patet, quia haec debent esse positive instituta a Deo, sive immediate, sive mediate.

Confirmatur: De sacramentis, cum sint supernaturalia, nihil definiendum est, nisi quod in Scriptura revelatum est: Sed nullibi in Scriptura sacra revelatur, fuisse sacramenta in lege nature in remedium peccati originalis, & actualis: Ergo non est asserendum de facto talia sacramenta in lege nature fuisse.

Ad objectionem respondeo negando. Majorem, falsum enim est quod lex nature excluderet omnia praeccepta positiva, includebat enim aliqua, licet paucissima, & ad quorum memoriam non opus esset scriptura: quod certe in doctrina Adversariorum necessario admitti debet, quandoquidem, cum fides parentum non haberet ex sua natura, sed solum ex divina institutione, quod parvulos justificaret, requirebat necessario praecceptum positivum: unde status ille non dicitur legis nature, quod omnia proflus praeccepta positiva excluderet, sed quia in eo non gubernabantur homines per caeremonias & legis determinatas in particulari Deo, sicut in lege scripta & Evangelica, sed solum communi, relinquendo earum determinationem in particulari Republica, vel Principibus familiarum, ob rationes supra declaratas.

Ad confirmationem dicendum, quod licet in Scriptura non legamus fuisse in lege nature aliqua sacramenta, in remedium peccati originalis & actualis, id tamen probabiliter

ter a nobis asseritur, propter doctrinam Augustini citatam, & auctoritatem iniquorum Doctorum, tam antiquorum, quam recentiorum, nec non propter rationes allatas. Neque silentium Scripture quoad hoc, probabiliter nostrae opinionis adversatur: tum quia Augustinus citatus asserit, Scripturam, aliquam necessaria de causa, licet eam ignorantibus, sacramenta legis naturae tenuisse. Tum etiam, quia certum est, quod Adam post peccatum sacramenta suscepit, & sacrificia obtulit, & tamen id non referunt sacre litterae, sicut nec legitur quod Isaac sacrificium obtulerit. Unde teste sit Cano relect. de sacram. part. 3. ad 3. *Gravis error avium est, qui de sacramentis nihil descripti posse credunt, nisi quod sacris litteris traditur; multa enim verba tenent & in actum, & in antiqua lege tra-*

79 Obijciunt secundo: De ratione sacramenti est, quod gratiam conferat ex opere operato, seu ultra meritum suscipientis, alias enim inutile erit ad sanctificationem hominis: Atqui in lege naturae nullus justificari poterat ex opere operato, sed solum ex opere operantis; quia justificari ex opere operato, est justificari ex meritis Christi operantis, & postea in rerum natura, quod illi statui convenire non poterat: Ergo in lege naturae nulla profuit sacramenta fuerit.

80 Respondeo primo, hoc argumentum omnino protere, probat enim circumcissionem in lege scripta non fuisse sacramentum, immo nullum proflus in tali lege fuisse sacramentum, cum ante Christi adventum, nullus justificari poterit ex opere operato.

81 Respondeo secundo, diligendo Majorem: de ratione sacramenti est quod gratiam conferat ex opere operato, vel active, vel passive, concedo Majorem. Active semper, nego Minorem. Similiter distinguo Minorem: sacramenta legis naturae non poterat conferre gratiam ex opere operato, active, concedo Minorem, Passive, nego Minorem, & Consequens.

82 Explicatur solutio: Dari ex opere operato gratiam per sacramenta dupliciter potest intelligi, uno passive, alio modo active. Dari gratiam ex opere operato passive, est dari gratiam suscipientibus tale sacramentum passive, solum Deo active eam praebente ad praesentiam sacramenti, non tamen ipso sacramento active concurrente. Dari autem gratiam ex opere operato active, est sacramenta ipsa active ad justificationem & productionem gratiae concurrere. Quia ergo Sacramenta legis naturae, & legis Moisaicae, non continent virtutem instrumentalem productivam gratiae sicut sacramenta nova legis, nec efficientes physice ad justificationem concurrent, sed solum movebant moraliter Deum, ut ad praesentiam ipsorum gratiam in suscipiente produceret, hinc est quod per sacramenta illa, gratia ex opere operato passive solum data fuisse dicitur; & contra vero Baptismus, & alia nova legis sacramenta, ex opere operato active justificare dicuntur, quia supponunt passionem Christi jam factam, & ex ejus virtute gratiam conferunt. Ita praclare Joannes a S. Thoma hic art. 3. dub. 1.

Nec ex hoc sequitur sacramenta legis naturae, & legis scriptae, fuisse proflus inutilia; tum quia, ut diximus moraliter movebant & excitabant Deum, ut ob merita Christi futura, gratiam conferret rite ea suscipientibus. Tum etiam, quia (ut supra ostendimus) deserviebant ad humilitationem ipsius hominis, in sui sanctificatione.

83 Obijciunt tertio specialiter contra secundam partem primae conclusionis: Sacramentum poenitentiae est illud nunc quod datur & dari potest pro peccato actuali, post remissionem originale: Sed in lege naturae non fuit sacramentum poenitentiae, tum quia pertinet ad novae legis sacramenta; tum etiam quia designari non potest tempus, pro quo illud sacramentum suscipi debuisset, non enim sufficiens fuisset homo in vita, nec necessarius esset, quatenusque homo converteretur ad Deum, illud suscipere: Ergo in lege naturae nullum fuit sacramentum pro remissione peccatorum actualium.

84 Respondeo, concessa Majori, distinguendo Minorem, in lege naturae non fuit sacramentum poenitentiae, quod fieret eodem modo quo fit in lege gratiae, sive quod fieret per vocalem confessionem peccatorum apud sacerdotem, concedo. Quod fieret diverso modo quo fit in lege gratiae, nego. Erant enim caeremoniae in lege naturae, & in lege Moisaica, alterius rationis a nostris, in remissionem peccatorum actualium. Et per hoc patet ad primam probationem Minoris distincte. Ad secundam dico, quod sicut praecipuum suscipiendum sacramentum poenitentiae quod est modo in Ecclesia, obligat tantum juxta naturam praecipi affirmativi, non semper, sed pro tempore necessitatis, quod Ecclesia determinavit ad confessionem annuam, ita & praecipuum poenitentiae in sacramentum instituta in lege naturae, non obligat nisi tempore necessitatis: quando vero esset necessitatis tempus, vel iudicio iustitiaeque particularis prudentis erat determinandum; vel certe Respublica, sive Ecclesia, illud designabat, sicut deservit in vestra lege.

85 Obijciunt quarto contra secundam conclusionem: Deus Genes. 7. distinguit animalia in munda & immunda, quae

distinctio desumitur per ordinem ad sacrificia: Ergo materia sacrificiorum, ac proinde etiam sacramentorum, erat determinata in lege naturae. Quod evidenter habetur Job ultimo, ubi Deus dixit amicis Job: *Sumite vobis septem sauros, & septem arietes, & ite ad servum meum Job, & offerite holocaustum pro vobis. Idem colligitur ex Genes. 14. ubi Melchisedech dicitur specialiter sacerdos Dei altissimi, quia Deus illi praecipit res quas offerret in sacrificium, scilicet panem & vinum; non enim apparet alia ratio, ob quam dicitur fuerit specialiter sacerdos Dei altissimi, cum & ipse Abraham fuerit sacerdos, nec tamen specialem illam sortitus sit appellationem.*

86 Respondeo regulas generales pati plerumque suas exceptiones, unde quamvis in lege naturae, regulariter, & quoad communitatem, non esset a Deo determinatum, quibus rebus sensibilibus utendum esset in sacrificiis, & sacramentis, quia ita postulat status legis naturae, voluit tamen quandoque quibusdam ritibus insignis sanctitatis immediate per seipsum determinare res aliquas sensibiles, pro sacrificiorum vel sacramentorum materia: Sed haec determinatio, vel eos non ita obligabat, quin potuissent uti aliis rebus omnino diversis, vel si quam interesset obligationem, non erat communis, sed illi solum particularis.

87 Obijciunt quinto: Sacramenta sunt signa practica gratiae. Sed signa practica gratiae, nemo praeter Deum determinare potest, cum etiam ille solus sit auctor gratiae, ille solus potest illam sicuti signo allegare: Ergo solus Deus materiae sacramentorum determinare potest, subindeque in lege naturae, determinatio sacramentorum debuit esse determinata a Deo, non vero a Republica, vel Principibus familiarum.

88 Respondeo neminem, praeter Deum, auctoritative posse instituire signa practica gratiae, nec proinde sacramenta formaliter: posse tamen homines ministratiter, & ex instinctu & inspiratione Dei, ut causae principalis, instituire vel determinare sacramenta, quasi materialiter, scilicet ex parte materiae & caeremoniae, quoad videlicet ita sunt imperfecta sacramenta & censura, ut in particulari non determinentur a Deo, sed solum quasi in communi, & quantum ad rationem formalem sacramenti; hoc est, quantum ad hoc, quod per signum sensibile homo debeat justificationem suam acquirere, non tamen quantum ad hoc quod in particulari praescribantur ea Deo caeremoniae, quibus uti debet. Sicut inquit Joannes a S. Thoma si Pontifex daret facultatem Principi potestatem, ut imagines vel rosaria quae ipse designaret, haberent talem vel talem indulgentiam, non ille, sed Papa, indulgentiam dare censeretur.

89 Obijciunt sexto: Si sacramentum in remedium peccati originalis institutum in lege naturae, non fuit determinatum a Deo, sed relictum libera hominum determinationi, sequitur inde meliorem fuisse conditionem parvulorum in lege naturae quoad salutem, quam in lege gratiae, utpote cum habuissent remedium facilius, quia generalius, quam fit illud quod habetur modo, utpote ad solum Baptismum restrictum, & Baptismus ad aquam solum naturalem: Sed hoc dici nequit: Ergo nec illud.

90 Respondeo negando sequelam, licet enim remedium generalius, sit facilius, ceteris paribus, remedium autem parvulorum esset pro statu legis naturae generalius, quia minus determinatum, quam fit modo pro statu legis gratiae; cetera tamen non sunt paria, quandoquidem cum hoc statu longe pauciores fuissent fideles in lege naturae, quam sint modo in statu legis gratiae, ac proinde longe minorem numerum parentum qui velent tale remedium applicare vel applicari suis parvulis, quam fit numerus eorum, qui volent modo suos infantes baptizari.

91 Obijciunt ultimo contra tertiam conclusionem: D. Gregorius lib. 4. Moralium cap. 2. habet: *Quod apud nos vult: aqua Baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro parvulis sola fides, vel pro adultis virtus sacrificii, vel pro illis qui de stirpe Abrahae prodierunt, mysterium circumcissionis.* Quibus verbis manifeste docet solum fidem fuisse satis ad salutem parvulorum, in lege naturae. Idem docere videtur S. Bernardus Epistol. 77. ubi sic ait: *In nationibus veteres quoque inventi fideles sunt, adulti quidem & fide & sacrificiis credimus expiari, parvulis autem etiam solum fidem profuisse, immo sufficere credimus.* Item D. Thom. in 4. dist. 1. q. 2. art. 6. quaestione. 2. eadem sententiam ut probabiliori, adheret, propter verba Divi Gregorii jam adducta, ait enim: *Circa hoc est opinio. Quidam enim dicunt quod non sufficiebat fides sine professione fidei facta per aliquod exterius signum &c. Sed quia hoc non videtur consonare cum verbis Gregorii in littera postea: ideo probabilius dicunt, quod parvulis sufficiebat sola fides sine omni exteriori signo. Idem repetit in 4. ad Annib. distinct. 4. q. 2. art. 2. dicens: ideo alii probabilius dicunt, quod cum ad remedium originalis nulla signa vel sacramenta forent adhuc instituta, sufficiebat professio fidei directam ad salutem parvulorum in solo motu interiori, sine exteriori. Ergo in lege naturae non erat necessarium necessitate medi, etiam pro parvulis, aliquid sacramentum ad delendam maculam peccati originalis, sed tunc sola fides parvulorum parvulos justificabat.*

Respon-

92 Respondeo D. Gregorium per solum fidem intelligere non solum fidem quantum ad actum interiorum, sed etiam quantum ad actum exteriorum, utrumque enim actum fides habet, & de utroque tractat D. Thomas 2. 2. quaest. 2. & 3. In actu autem exteriori includitur professio fidei facta signo sensibili, & hoc pro parvulis erat sacramentum salutis. Idem dicendum ad testimonium D. Bernardi.

93 Ad D. Thomam fateor ipsum loco citato in oppositam opinionem ut probabilem inclinasse, sed in questionibus disputatis, & in Summa in nostram magis propendere sententiam: nam quaest. 4. de malo art. 8. ad 12. sic ait: *Fides antiquorum cum aliqua protestatione fidei videbatur parvulis ad salutem.* Et in hac parte infra quaest. 70. art. 4. ad 2. videtur limitare doctrinam illam quam in libris sententiarum tradiderat, ad signum sensibile determinatum, ita ut doceat solum in lege naturae non fuisse necessarium pro justificatione parvulorum signum aliquid sensibile, a Deo immediate determinatum: est eo enim probat ibi non fuisse necessarium signum protestativum fidei in lege naturae ad salutem parvulorum, quia in eo statu nondum erat populus fidelis ad infidelibus segregatus: haec autem ratio nihil aliud probat, nisi quod non fuerit aliquid signum particulare, per legem naturae determinatum, & omnibus fidelibus commune: unde continuo ibidem subjungit: *Probabile est quod parentes parvulis natis, & maxime in periculo existentibus, aliquas preces funderent, vel aliquam benedictionem adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicut adulti pro suis preces & sacrificia offerrebant.*

ARTICULUS III.

An in lege Moisaica, praeter circumcissionem, alia fuerint vera sacramenta, & quot?

94 Suppono primo tanquam certum, & ab omnibus Theologis communiter receptum, circumcissionem fuisse verum sacramentum; tum quia fuit verum signum gratiae justificantis, unde ab Apostolo ad Rom. 4. *signaculum justitiae fidei appellatur.* Tum etiam, quia mysterio circumcissionis successisse Baptismum, docet Innocentius III. cap. Majoris, de Baptismo.

95 Suppono secundo, quod quamvis circumcisio in lege scripta instituta non fuerit, sed in Abraham initium habuerit, quadringentis & amplius annis ante Moysen, sacramentum tamen legis Moisaicae dicitur: Tum quia sacramenta legis naturae non erant in particulari determinata immediate ab ipso Deo, sed ab hominibus, ut articulo praecedenti ostendimus: est circumcisio autem in particulari fuit immediate ab ipso Deo instituta & determinata, quantum ad omnes suos ritus, ut habetur Genes. 17. Tum etiam quia remanet in lege Moisaica, & fuit quasi proprius character populi Judaici, professio, per quam homines se illi legi obligabant, & subiecitati, juxta illud Apostoli ad Gal. 5. *Testificor omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universae legis facienda:* sicut in lege Evangelica Baptismus est professio talis legis, ad eam servandam obligans.

96 Suppono tertio, multo magis debuisset esse sacramenta in statu legis scriptae, quam in statu legis naturae, utpote cum in illo fuerit major sacramentorum necessitas, cum multo magis crescente numero peccatorum, natura humana esset subiecta rebus sensibilibus per affectum, & lumen rationis magis obtenebratum. Unde solum difficultas est & controversia de numero hujusmodi legis Moisaicae sacramentorum. Quidam enim volunt, unicum tantum fuisse sacramentum in ea, scilicet circumcissionem: Ita Joannes de Bassolis in 4. dist. 1. q. 3. art. 3. & Carolus Franciscus Abra de Raconis, Tractat. 2. disp. 1. sect. 2. q. 1. Alii duo, scilicet circumcissionem, & elum agni paschalis. Cui sententiae videtur favere Soto in 4. dist. 1. q. 1. art. 2. ubi horum tantum sacramentorum meminit, & q. 2. art. 3. dicit in lege veteri nullum fuisse sacramentum pro expiandis peccatis actualibus, neque consecrationem sacerdotum fuisse sacramentum. Alii denique plura alia sacramenta in lege Moisaica agnoscunt. Ita communiter Theologi, tam domestici, quam extranei, cum quibus

97 Dico primo, in veteri lege, praeter circumcissionem, fuerunt alia sacramenta proprie dicta: immo plura habuit sacramenta status legis, quam status legis naturae, & status legis gratiae. Probat prima pars ex Florentino in decreto unionis, & Tridentino sess. 7. can. 2. ubi de sacramentis veteris legis tanquam de pluribus loquuntur, eaque in plurali sacramenta appellat. Eodem modo loquitur Dionysius de caelesti Hierarchia c. 5. asserens Ecclesiam legis gratiae, medium verfare inter synagogam, & caelestem patriam, & cum hac habere communes contemplationes, cum illa vero communia Symbola, seu sacramenta, Augustinus etiam lib. 19. contra Faustum cap. 13. sic ait: *Prima sacramenta quae celebrabantur & observabantur ex lege, praenuncia erant Christi venturi.* Ergo ex Concilio, & SS. Patribus, in veteri lege praeter circumcissionem, fuerunt alia sacramenta.

Theol. Genes, Tom. V.

Probat secundo eadem pars: In veteri lege, praeter elum agni Paschalis, & circumcissionem, quae ad tollendum peccatum originale instituta fuit, erat aliquid sacramentum ad delenda peccata actualia institutum: Ergo in tali lege plura erant sacramenta. Consequenter patet. Antecedens probatur ex D. Thoma infra q. 84. art. 7. ad 2. ubi sic ait: *Poenitentia in veteri lege aliquam determinationem habuit, quantum quidem ad dolorem, ut esset magis in corde, quam in exterioribus signis, secundum illud Joel 2. scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Quantum autem ad remedium doloris, quatenus ut aliquo modo ministris Dei peccata sua confiterentur, ad minus in generali. Unde Dominus Levit. 3. dicit, Anima si peccaverit per ignorantiam, offeret arietem immaculatum de gregebus sacerdotum, juxta mensuram estimationemque peccati, qui orabit pro eo quod neficiens fecerit, & dimittetur ei. In hoc enim ipso quod oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suam peccatum sacerdoti confitebatur, & secundum hoc dicitur Prov. 28. Qui abscondit scelera sua, non dirigitur: qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Quibus verbis S. Doctor, non solum aperte docet, fuisse in veteri lege aliquid sacramentum pro peccatis actualibus institutum, sed etiam id probat ex Scriptura, quae Levit. 5. promittit remissionem peccati per ignorantiam commissi, oblatione arietis, & orationem sacerdotis, subindeque talem oblationem, & orationem, fuisse signum praecipuum gratiae, & per consequens verum sacramentum, insinuat.

98 Secunda pars conclusionis, quae ait statum legis scriptae plura habuisse sacramenta, quam statum legis naturae, triplici conjectura, & optima simul congruentia funderetur. Prima est, quod cum tempore legis naturae populi essent quasi parvuli instruendi, subindeque non multitudine praecipuum, atque adeo nec sacramentorum, obtinendi: & contra vero tempore legis scriptae, exercitii jam homines essent, ac proinde amplius instruendi, crescere debuit praecipuum ac sacramentorum numerus. Secunda, quia lex naturae generalia dat praecpta, lex autem scripta ea specificat, & consequenter non inicum quod in lege scripta plura existere deberent praecpta & sacramenta, quam in lege naturae. Tertia, quia sacramenta sunt in remedium contra peccata: nondum autem in lege naturae tantum creverat morbus, quantum postea crevit tempore legis scriptae cognoscitur, consequenter non tot remedia in illa fuerant necessaria, quae in ista. Unde Hugo Victorinus lib. 1. de sacram. part. 12. cap. 4. sic habet: *In primis paucis arietis, & paucis membris, id est paucis personis, medicus opposuit, ne paulatim morbus deficeret, & salus cresceret: & post plura consultis remedia, & plures reparavit.*

99 Tertia pars, quae asserit in lege veteri plura fuisse sacramenta, quam in nova, probatur primo ex Augustino lib. 19. contra Faustum cap. 13. ubi sic habet: *Sacramenta veteris legis ablati sunt, quia impleta, & alia sunt instituta, virtutes majora, utilitates meliores, esse facilliora, et numero pauciora.*

Secundo, decuit ita esse, ut nostrorum sacramentorum magnitudo & praesentia pluribus prafigurata signis (sacramenta enim legis scriptae fuerant eorum signa) certior haberetur: multitudo enim signorum, certiorum tacit signatorum adventum. Praeterea sicut Princeps quod dignior est, eo pluribus praecedentibus ministris honorari debet: ita sacramenta nostra, in sua magnitudinis signum, pluribus debebant indicari seu signis, qualia erant sacramenta legis scriptae, honorari. Deinde, sacramentorum legis scriptae inefficacia & defectus, numero saltem, aliquo modo supplenda fuit. Denique, *Prima sacramenta legis naturae, inquit Victorinus lib. 1. de sacram. part. 11. cap. 6.) quasi veritatis umbra fuerunt, quae vero tempore legis Moysi, quasi quaedam imago veritatis, quae autem sub gratia vestimento consequuntur, jam non umbra vel imago, sed ipsum corpus veritatis.* Cum ergo plures sint corporum imagines, quam corpora ipsa, plura tunc sacramenta esse oportuit.

Dico secundo: Sacramenta veteris legis, ad tria genera reduci. Ita D. Thomas 1. 2. quaest. 102. art. 3. cuius discussus potest ad hanc formam reduci.

Sacramenta veteris legis erant quaedam caeremonia facta, quibus cultores Dei deputabant quodammodo ad creum cultum: Sed omnia illae caeremoniae reducuntur ad tria genera: Ergo & omnia veteris legis sacramenta. Probat Minor: Tria requiruntur ad hoc ut Dei cultores ad Dei cultum deputentur, scilicet quod constituantur in statu colendi Deum, quod usu consumant ea quae ad cultum Dei pertinent, & denique quod ab eis renoventur impedimenta cultum divini, per ipsos exercendi. Tria ergo solum in veteri lege erant genera caeremoniarum ordinatarum ad deputandum homines ad cultum divinum, illa scilicet quibus constituebantur in statu colendi Deum, quodammodo erant circumcisio pro toto populo, quae erat janua ad omnia legalia, & consecratio pro sacerdotibus. Illa quae in usu rerum pertinentium ad cultum divinum consistebant, qualis erat comestio Agni Paschalis pro toto populo, Panum propositionis pro sacerdotibus. Illa denique

que ordinabantur ad removenda impedimenta divini cultus, cujusmodi pro toto populo erant purificationes a quibusdam exterioribus immunditiis, & expiationes pro peccatis: pro sacerdotibus vero ablutio manuum & pedum, & rasio pilorum. Ex quibus constat, unumquodque genus sacramentorum legis Moisaicae sub se continuisse plures species; nam sub primo erant sacerdotum consecratio, & circumcisio. Sub secundo, comestio Agni Paschalis, & Panum propositionis. Sub tertio, purificationes, & expiationes populi, & ablutio manuum sacerdotum, & rasio pilorum. Purificationes autem ab immunditiis exterioribus fiebant, vel per aspersione aquae, vel per aliquod sacrificium ordinatum ad tollendum peccatum, quo immunditiae illae contractae fuerant. Expiationes vero a peccatis fiebant per sacrificia, quae erant in duplici differentia, quadam scilicet oblata pro tota communitate, & alia specialia pro peccatis singulorum.

102 Adverte tamen, quod ille ceremonia quae solum erant instituta ad removendas immunditias legales, non autem ad significandam perfectam animae sanctitatem, non erant vere & propriae sacramenta, sed solum improprie, & secundum quid: nam ut disp. precedenti art. 2. contra Canam & Bellarminum ostendimus, de ratione veri sacramenti est significare perfectam sanctitatem, quae est per gratiam.

103 Adverte etiam, quod ex omnibus illis sacramentis veteris legis, quae recensimus, aliqua correspondebant nostris: videlicet, Circumcisio Baptismati, comestio Agni Paschalis, & Panum propositionis, Eucharistiae: omnes purificationes, expiationes, abluiones, rasio pilorum, & ablutio manuum & pedum, sacramento poenitentiae; & consecrationes sacerdotum sacramento Ordinis, Confirmationi autem Extremae Unctioni, & Matrimonio nullum correspondebat in antiqua lege sacramentum. Rationem assignat D. Thomas loco citato, ad 3. Primo quod Confirmationem, quia illa est sacramentum plenitudinis gratiae, quae nondum advenerat in lege scripta, nihil enim ad perfectum addidit lex. Secundo quoad Extremam Unctionem, quia est mediata preparatio ad introitum gloriae, cuius aditus nondum patebat in veteri lege, pretio nostrae redemptionis nondum soluto. Tertio quoad Matrimonium, quia fuit quidem in lege veteri, prout erat officium naturae, non autem ut erat signum conjunctionis Christi cum Ecclesia, quae nondum facta erat, unde tunc dabatur libellus repudii.

ARTICULUS IV.

An post Christi adventum, seu in nova lege, aliqua debeant esse sacramenta, diversa ab his quae erant in lege veteri?

104 Negabant olim quidam haeretici, qui Archontici dicebantur, ut referunt S. Epiph. haeresi 34. & Theodoretus lib. 1. haeretic. fabul. c. 12. & 13. Fraticelli pariter & Begini sacramenta Ecclesiae despiciebant, ut ait Joannes XXII. in extravag. *Sancta Romana*, de religiosis domibus. Demum nostro tempore, & precedenti saeculo, non desit haeretici, qui omnia sacramenta sensibilia & corporalia contempnerent, ex Eridrico Staphilo refert Bellarminus lib. 1. de sacram. cap. 1. circa finem, ut hic error impugnetur & veritas Catholica stabilietur.

Dico breviter: conveniens fuisse ut Christus in nova lege aliqua sacramenta institueret. Ita D. Thomas hic art. 4.

105 Probat primo ratione quam ibidem adducit. Sicut antiqui Patres salvi facti sunt per fidem Christi venturi, ita & nos salvamur per fidem Christi nati & passi: Ergo oportet esse sacramenta in lege nova, distincta a sacramentis legis antiquae. Probat consequentia: Sacramenta enim sunt signa praesentantia fidem qua homo iustificatur. Sed necesse est aliis signis significari futura, & aliis praesentia sive praeterita; eadem enim res alter annunciat facienda, & alter facta, ut ait August. lib. 19. contra Faustum cap. 13. Ergo oportet esse in nova lege sacramenta distincta a sacramentis legis antiquae, quibus significatur Christus praesens & passus, sicut per sacramenta legis antiquae significabatur venturus & passurus.

106 Secundo, ut idem S. Doct. in 4. dist. a. q. 1. art. 4. quaestione 1. dicitur: Sacramenta sunt medicinae spirituales: Sed non competit eadem medicina parvulo, & adulto: Cum ergo status legis comparatur puerili aetati, status autem temporis gratiae, aetati perfectae, ut patet ad Galatas 4. aliqua sacramenta fuerunt instituta in lege gratiae, diversa ab illis quae erant in lege Moisaica.

107 Dices, Veniente veritate debet cessare figura: Sed gratia & veritas per Jesum Christum facta est, ut dicitur Joann. 1. Cum igitur sacramenta sint veritatis signa seu figurae, videtur quod post Christi adventum nulla prorsus sacramenta in nova lege esse deberent.

Respondetur ex D. Thom. hic art. 4. ad 1. quod sicut S. Dionysius dicit c. 3. celestis hierarchiae status nova legis melius est inter status veteris legis, cuius figura impletur in nova lege, & inter status gloriae, in qua omnis nuda & perfecta

manifestabitur veritas, & ideo tunc nulla erant sacramenta: nunc autem quia per speculum & in imagine cognoscimus (ut dicitur 1. ad Corinth. 13.) oportet nos per aliqua sensibilia signa, in spiritualia devenire, quod pertinet ad rationem sacramenti. Ex qua doctrina S. Doct. patet, quod omnis homo viator sacramentis indiget; beatis vero & comprehensoribus nullum congruit sacramentum, quia ubi est veritas clara, omnis signorum umbra fugit. In cuius rei typum testatur D. Joann. Apocal. 2. se nullum vidisse templum in caelesti Jerusalem, ubi enim non est opus templo, ubi neque sacramenta, neque sacrificia erunt. Unde August. de Cataclysmo cap. 4. Comedetur agnus post noctem huius saeculi, ut cum mane illud venerit quod vesperum non habebit, non jam offeratur sacrificium imaginis agni, sed ipsum agnum, quem quotidie immolamus, comedimus, & cuius sanguinem bibimus, inveniamus illum cum sacerdotem perfectum, quem constat hic pro nostra salute occisum. Ex quo resellitur error quorundam haeticorum qui dicebant, Christum beatis in caelo Eucharistiam ministrare, in quos acriter invehitur Theophilus Raynaudus in Candelabro sancto septuaginta sect. 1. c. 6.

DISPUTATIO III.

De Gratia Sacramentali.

Ad quaestione 62. D. Thomae.

Cum causa finalis sit prima omnium, aliunde vero haec in instrumentum cum effectu ad quem ordinatur & sumuntur coincident, explicatis natura & existentia sacramentorum, prius post D. Thom. disputandum nobis est de eorum effectibus, quam de causa efficiente ipsorum. Duo autem sunt effectus sacramenti, gratia scilicet iustificans, & character. De primo, utpote priori, principaliori, & universaliori, prius nobis agendum est in hac disputatione: de altero vero in sequenti. Sed ut clarus in huius celeberrime disputationis resolutione procedamus, prius contra huius temporis haeticos demonstrandum est, sacramenta nova legis, de quibus solum agimus in praesenti, vere & proprie conferre gratiam ex opere operato, ut loquuntur Theologi, deinde modum huius causalitatis declarabimus, eaque non solum moraliter, sed etiam instrumentaliter physice gratiam causare, contra plures ex Recentioribus ostendemus.

ARTICULUS I.

Utrum sacramenta nova legis sint causa gratiae, & omnes conferant ex opere operato, non ponentibus obicem?

Utrumque negant huius temporis haeretici: in primis enim, cum existentiam gratiam iustificantem non esse aliquid intrinsecum animae, sed vel favorem Dei extrinsecum, vel iustitiam Dei & Christi, nobis imputatam, & veluti extrinsecus applicatam, nec aliud ex parte hominis requirant ad iustificationem, quam fidem, sive fiduciam, quae iustitiam Dei vel Christi nobis prodesse credimus, aut confidimus; consequenter ad hunc errorem, afferunt sacramenta nova legis ad nihil aliud valere, quam vel ad excitandam illam fidem, sive fiduciam, vel ut sint quadam nota Christianae professionis, quibus fideles ab infidelibus discernantur. Deinde irridunt modum loquendi Theologorum, dicentium sacramenta nova legis causare gratiam ex opere operato, ut barbarum, & Grammaticae legibus adversantem, nam ly operantur, contra regulas Grammaticae ab illis (inquitur) passivè usurpatur, cum tamen verus actionem quam passionem significet. Praeterea Theologos calumniantur fingentes eos vocibus illis nihil aliud significare, nisi quod sacramenta nova legis gratiam conferant sine fide, ut homo motu cordis, vel absque ulla dispositione suscipientis. Ita Calvinus lib. 4. instit. cap. 14. §. 16. ubi fingit sensum huius controversiae esse: Num sacramenta gratiam conferant sine fide, aut homo motu cordis, vel dispositione suscipientis? Et Melancton in Apologia confessionis Augustanae, circa art. 5. & 13. ubi sic ait: Damnamus totum populum Scholasticorum Doctorum, qui docent quod sacramenta non ponentibus obicem conferunt gratiam ex opere operato, sine bono motu mentis. Hoc simpliciter Iudaeus est opinio, quod per ceremonias iustificamur, sine bono motu cordis, hoc est sine fide, & tamen haec impietas & perniciosa opinio magna auctoritate docetur in toto regno Pontificis. Ut hic error confutetur, & Theologi ab haeticorum calumniis vindicentur, sit

§. I.

Duplici conclusione veritas Catholica statuitur.

1 Dico primo: Sacramenta nova legis gratiam conferre non ponentibus obicem, subinde non esse solum signa excitativa fidei, vel notas quibus fideles ab infidelibus discernantur. Conclusio est certa de fide definita in Tridentino sess. 7. can. 6. his verbis: Si quis dixerit sacramenta nova legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint accepta per fidem gratiae, vel iustitiae, & nota quadam Christianae professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit. Definita est etiam in Florentino, in decreto unionis, ubi constituit differentia inter sacramenta nova & veteris legis, quod sacramenta veteris legis solum significant gratiam, legis vero autem illam conferunt & causant.

2 Desumptis Ecclesiae hae veritatibus ex Scriptura, & ex SS. Patribus, passim asserentibus sacramenta nova legis habere vim causandi gratiam, & remittendi peccata: Joann. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei. Ubi regeneratio spiritualis, quae per gratiam fit, Baptismo, & Spiritui sancto tanquam causae tribuitur: Spiritui sancto quidem, tanquam causae principali; Baptismo vero, tanquam causae instrumentali. Unde Augustinus exponens hunc locum Epist. 27. sic habet: Non unio scriptum est, nisi quis renatus fuerit ex parentum voluntate, aut ex effectum vel ministrantium fide, sed nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, Et Tract. 80. in Joann. exclamat: Quis est tanta virtus aquae, ut corpus tangat, & convertat? Similia habet alii Patres; Cyprianus enim lib. 2. Epist. 6. ait Christianos predicare quod aqua baptismi malis habet virtutem ad immutandum hominem, & peccata abstergendam. Chrysostomus homil. 25. in Joann. dicit Christianos in fonte baptismali formari, ut embryo in utero matris. Et Leo Papa serm. 4. de Nativitate, sic ait: Omnia hominum venientia aqua baptismatis instar est uterique virginis, eodem Spiritu replente fontem, qui repletur & Virginis, non peccatum quod illi evasavit sacra conceptio, hic solus ablutio.

3 Idem patet de aliis sacramentis: nam de sacramento Confirmationis Actuum 8. dicitur Spiritum sanctum dari per impositionem manuum. De Eucharistia Joann. 6. Qui manducat me, & bibit propter me. Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. De Poenitentia Joann. 20. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis. De Extrema Unct. Jacobi 5. Si in peccatis fuerit, remittentur ei. De Ordine 2. ad Tim. 1. Adhaere te ut resuscites gratiam Dei, quae est in te per impositionem manuum mearum. Ubi particula per denotat vere ex vi impositionis manuum (qua denotatur Ordo) collatam fuisse gratiam Timotheo. De sacramento Matrimonii non habetur alia expressio in Scriptura: id tamen docet Traditio perennis in Ecclesia, & delinunt Concilia, praecipue Trident. sess. 24. his verbis: Si quis dixerit Matrimonium non esse vere & proprie unum ex septem nova legis sacramentis, neque gratiam conferre, anathema sit. Denique usque adeo fideles persusum habent sacramenta nova legis habere aliquam virtutem sanctificandi animas, ut teste Augustino lib. 1. de peccatorum meritibus & remissione, cap. 21. Atri vulgo Baptismus appellaverit salutem: & Eucharistiam vitam, ob ejusmodi sacramentorum effectus.

4 Ratio huius conclusionis non potest alia assignari, quam voluntas Dei, & Christi, qui ponit, & voluit, mediis sacramentis sensibilibus, communicare fructum & pretium nostrae salutis: quod illa fecisse constat ex praedictis testimoniis, & ex Ecclesiae traditione, & sensu Patrum sic ea intelligentium, praesertim cum utatur comparationibus quae veram & realem sacramentorum causalitatem innunt, respectu gratiae sanctificantis: comparant enim fontem baptismalem utero Virginis, quod facit Leo Papa supra relatus: Aquis initio mundi producentibus volucres & pisces; ut Tertullianus in libro de baptismo: Aque, quae virtute ignis intensius calcata, non aliter urit ac ipse ignis: ita Cyrillus Alexandrinus lib. 2. in Joann. cap. 40. Virgo Moysi quae obruit aquis Pharaonem & exercitum eius, quae similitudine utitur Nissenus. Et demum aquae Jordanis, quae sanavit Naaman leprosum, & mundum efficit. Quae comparationes essent plausum absurdum, si sacramenta nova legis haberent solum excitare fidem, non vero causare gratiam.

5 Praeterea, Verba sacramentorum ab ipsa veritate institutorum, non possunt non habere veritatem: Sed verba sacramentorum, ut rebus adjuncta, significant interiore emundationem; & gratiae collationem, atque augmentum, ut patet in singulorum sacramentorum verba consideranti. Unde Tertullianus lib. de resurrectione carnis: Caro ablutitur, ut anima emaculetur: Caro nungitur, ut anima conservetur: Caro manus impositione obambatur, ut anima spiritibus

ritu illuminetur: Caro corpore Christi & sanguine vestitur, ut anima de Deo saginetur.

Denique haeticorum sententia innumera propemodum involvit absurda & inconvenientia, a quibus sese nullatenus expedire valent. In primis enim, si aqua baptismalis, seu sacramentum baptismi, non causaret gratiam, sed dumtaxat fidem seu fiduciam excitaret, falsa esset illa Christi propositio: Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei: alii enim modis excitari potest fides, quam per aquam baptismalem; immo concio, lectio Evangelii, meditatio passionis Christi, & alia huiusmodi, multo melius id prestare possent.

Confirmatur: Imago Baptismi in tabula depicta, plus in ratione signi facit promissionem Dei visibilem, & consequenter magis excitat fidem, quam Baptismus ipse; quomodoquidem Baptismus semel fit & transit, imago autem Baptismi in tabula depicta permanet, & ante oculos semper poni potest: Ergo plus prodesse ad salutem, quam Baptismus ipse, si ille vere non conferret seu causaret gratiam, sed solum ad fidem excitandam deserviret.

Secundo, Si efficacia sacramentorum nova legis consisteret praesertim in eo quod excitarent fidem, per modum signi testificantis divinam promissionem, nullum esset discrimen in ratione causae iustificationis, inter Baptismum Joannis, & Baptismum Christi, quandoquidem Baptismus Joannis erat signum promissionis divinae de remissione peccatorum, ut patet ex illo Luca 3. Venit Joannes in omnem regionem Jordanis, praedicans Baptismum poenitentiae, in remissionem peccatorum. Sed major est efficacia Baptismi Christi, quam Baptismi Joannis: etenim ipse Joannes Lucae 3. tantum ponit differentiam inter efficaciam sui Baptismi, & efficaciam Baptismi Christi, quanta est inter aquam & Spiritum sanctum, dicendo Judaeis: Ego baptizo vos aqua, ille vos baptizabit Spiritu Sancto: Ergo &c.

Nec valet quod respondet Calvinus in 3. caput Martini, dicens discrimen quod ponit Joannes inter suum Baptisma, & Baptisma Christi, non in eo consistere, quod major esset efficacia Baptismi Christi: sed in hoc tantum, quod Joannes esset minister solum exterioris ritus, significati nomine aquae; Baptismus autem esset auctor interius sanctificationis, significati nomine Spiritu Sancti: Non valet, inquam; nam si erat eadem vis utriusque Baptismatis, cur Paulus Actuum 19. iussit eos qui baptizati fuerant Baptismo Joannis, iterum baptizari?

Tertio, si sacramenta nostra non causent gratiam, non ponentibus obicem, sed dumtaxat per modum objecti extrinseci fidem excitent, sequitur sacramentum Baptismi non debere conferri parvulis, cum illi (utpote rationis usum carentes) ad fidem excitari non possint.

Respondent Lutherani, infantibus, cum baptizantur, pro eo tempore usum rationis concedi, eoque tunc actum fidei elicere. Sed hoc chimericum plase est, & ad summum, quam impugnatione dignum; meritoque de illis dici potest quod olim de aliis haeticis Augustinus agebat, eos nimirum orationibus potius quam argumentis esse juvandos.

Quarto ex haeticorum sententia sequitur, non esse majorem aut aliam vim in nostris, quam in antiquis sacramentis, utpote cum etiam illa ad fidem excitarent: quod tamen est contra Apostolum vocentem sacramenta legis antiquae, per comparationem ad nova, infirma & egena elementa.

Quinto sequitur, eodem modo prodesse sacramenta audita, lecta, & meditata, quam exercita; & aequo prodesse illis omnibus qui adfunt, quando conferuntur, ac iis qui ea recipiunt, cum in utroque aequaliter fidem excitare possint.

Sexto sequitur, sacramenta fore inefficacia, si dentur lingua Latina, vel Graeca, quam non intelligant qui ea recipiunt; tunc enim non intellecta, nequeunt excitare fidem; & tamen Lutherani & Calvinistae admittunt nostrum Baptismum, qui semper datur lingua Latina, absque alia concione, esse validum.

Dixi autem Sacramenta nova legis causare gratiam non ponentibus obicem, quia quamvis virtute Christi plena sint, & ad efficiendum proclivia, cum tamen aliquam requirant in subiecto dispositionem, si fidele, vel negligenter recipiantur, eisque apponatur aliquis obex, non prolucent gratiam in suscipientibus. Unde praebet Gregorius Magnus in 1. Regum lib. 1. cap. 1. Ne mirare (inquit) si negligentes comedunt, & saturari non possunt; quia licet Sacramentum ore percipiatur, virtute Sacramenti non replentur: a virtute ergo Sacramenti jejuniatur, quia repleri fuerant; salutis quippe fructum non percipiunt, quibus se replerunt flagitia portans in mente. Non saturantur ergo nisi famelici, qui a virtute perfectae jejuniaverunt, divina sacramenta percipiunt in plenitudine virtutis.

Dico secundo, sacramenta nova legis conferre gratiam ex opere operato.

Hac etiam conclusio est de fide, & definita in Tridentino sess. 7. can. 8. his verbis: Si quis dixerit per ipsa nova legis sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solum